De figuris etymologicis linguae latinae.

Scripsit

Gustavus Landgraf,
Dr. phil.

Allitterationis quae dicitur usus quamquam latissime in prisca et Romanorum et Germanorum[1]) poesi patet, tamen prosae quoque orationi nec minus profano quam sacro sermoni ita insedit, ut nec ulla florentis linguae Latinae aetate prorsus evanuerit, et nos in certis quibusdam formulis eam adhuc retinere soleamus. Immo Romani, si qua vocabula idem fere significantia et allitterationis ornamento commendata vetustas consociaverat aut in duobus verbis similiter cadentibus coniungendis luserat, has formulas per aliquot saecula, antequam huius figurae taedium eos caperet ac res in oblivionem abiret, studiose servaverunt, cum et prisci sermonis recordatio vulgo haud ingrata esset et eiusdem litterae sive vocalis sive consonantis repetitio aures delectaret.

Atque in sermone quidem profano hanc allitterationem retinebant inprimis proverbia et locutiones proverbiales ab hominibus plebeiis et plerumque inventae et valde adamatae, veluti ‚nec vola nec vestigium, purus putus (Varr. sat. Men.); factum non fabula, amicus amico' (Petron. sat.), similia. Sed intra ipsos sermonis urbani fines unum dicendi genus praeter cetera hac figura usum est, iudiciale dico[2]). Cuius rei exempla propono priscas illas formulas ex XII tabulis: ‚lance et licio' apud Schoellium leg. XII tabul. rell.

---

1) Cf. J. Grimm, Rechtsalterthümer [2] 6 sqq.; Lachmann in encyclopaedia ab Erschio et Grubero edita s. v. Allitteration.

2) Cf. Jordan, Kritische Beiträge zur latein. Sprache 1879 p. 167 sqq.

VIII, 14 et ibid. tab. XII, 2 ‚si servus furtum faxit noxiamve noxit', quacum formulam antiquissimam fetialis apud Livium 9, 10, 9 conferas: ‚noxam nocuerunt'; ex senatus consulto a. u. 676 (corp. inscr. lat. I. 203, 8) ‚locum lautiaque locare'; ‚manu mittere, manus mancipium', denique verba illa sollemnia ‚do, dico, addico', quibus tota praetoris potestas iudicialis continebatur, cf. Varr. l. l. 6, 30. Atque ex his plane iudicialibus formulis non ita paucae in communem omnium maximeque hominum plebeiorum usum influxerunt, ut ‚acta agere' (cf. §. 19 d), qua utebantur de iis, qui cum praepostere agant, operam perdant et frustra laborent; contra ex sermone plebeio quaedam immigrasse videntur in iuris consultorum dictionem ut ‚damnum dare' [3]). Eadem necessitudo etiam inter sermonem plebeium et sacrum intercedit; veluti locutio sacrificantium ‚inter sacrum saxumque' (cf. Brix ad Plaut. Capt. 613, Apul. met. 11, 28) communi usu recepta est.

Iam in ipso sermone sacro sive rituali occurrunt nobis non solum breviores locutiones ut ‚dea Dia, mater Matuta, Ops Opifera, pater patratus, sacrosanctus, felix faustum fortunatum, salvom sospitem, donum datum donatum dedicatumque' (corp. inscr. lat. I. 603: cf. in testamento porcelli apud Buechelerum Petron. sat. ed. min. [2] p. 232, dabo donabo'); sed etiam ampliores et invocationis formulae et precationes sollemnes, quarum singula membra summa aequabilitate conformata allitteratione quasi vinculo quodam inter se conexa sunt [4]). Huius rei exemplum est luculentissimum illud atque artificiosissimum precationis carmen Scipionis apud Livium 29, 27, 1—3 nuperrime ab Augusto Luchsio plenius editum, quippe cui ad hanc interpretationis rationem relato plus addatur et gravitatis et suavitatis:

‚Divi divaeque, qui maria terrasque colitis, vos precor quaesoque, uti, quae in meo imperio gesta sunt, geruntur, postque gerentur, ea mihi populo plebique Romanae, sociis

---

3) De hoc verborum quasi commercio cf. Rebling in libello: Versuch einer Charakteristik der röm. Umgangssprache. Kiel 1873 p. 19.

4) Ad hanc mirificam singulorum vocabulorum et locutionum inter se copulationem multum valet particula *que* *ἐγκλιτικωτάτη* pro *et*, *ac*, *atque*.

nominique Latino, qui populi Romani quique meam sectam imperium auspiciumque terra mari *montibus* amnibusque [5]) secuntur, bene verruncent eaque vos omnia bene iuvetis, bonis auctibus auxitis' sqq.

In hoc carmine bis offendimus singulare quoddam genus figurae illius latissime patentis, quae similium vocabulorum compositione ludit i. e. paronomasiae sive, ut Latine dicam, adnominationis, de qua cf. Cornif. 4, 21, 29: figuram dico, quae hodie vocatur, etymologicam (‚qui meam sectam secuntur' et ‚bonis auctibus auxitis'). Eodem spectant ex locis, quos supra ex sermone rituali, iudiciali, plebeio attulimus, formulae: acta agere, amicus amico, dea Dia, Ops Opifera, pater patratus, donum donatum, locum lautiaque locare, noxam nocere.

Ceterum si quis ex his locutionibus, quae omnes fere antiquissimae sunt, coniecturam faciat hanc figuram inprimis prisco sermoni attribuendam esse, immo archaismum iustum ac sincerum appellet, ut Wagner ad Verg. Aen. 12, 680, eum longius a recta via aberrare crediderim. Nam ita qui sentit, genus varium ac multiplex allitterationis parum recte seiungit a specie figurae etymologicae. Scilicet quae pertinent ad genus allitterationis, cuius natura haec est, ut duo vel plura deinceps vocabula, quae tamen nullis grammaticae legibus inter se coniunguntur, ab iisdem litteris aut syllabis initium capiant, eadem non valent ad speciem figurae etymologicae, quippe quae compositio sit duorum et eiusdem stirpis vocabulorum et ratione quadam grammatica inter se coniunctorum.

Quamquam autem allitterationem (quam quidem modo declaravimus) in prisca Latinitate multo crebriorem invenimus quam apud optimos scriptores, tamen haec res ad iudicia singulorum scriptorum et aetatum revocanda est: nam in eodem poeseos genere eodem fere tempore Plautus summa licentia allitteratione utitur, cautione maxima Terentius. Atque huius poetae sermonem permultis locis a Plauti differre — qua in

---

5) ‚Montibus' ex coniectura mea supplevi, ut concinniorem redderem orationem; cf. Pl. Merc. 859. 60 neque mihi una opsistet amnis nec mons neque adeo mare; Cic. Pis. 82 si montes resedissent, amnes exaruissent; Curt. 4, 14, 7 tot amnibus montibusque post tergum obiectis; *omnibusque* pro *amnibusque* scr. Heldius.

re maximi momenti erant studia illa perpoliendae linguae Latinae, quae in Scipionis circulo, cuius ipse Terentius particeps erat, maxime florebant — quis est qui nesciat? Sed ut tragici et comici poetae ac praecipue Plautus tam copiose quam ingeniose variis allitterationis generibus usi sunt, ita optimorum scriptorum paene unus Cicero dictionem suam maximeque rhetoricam frequentius hac figura exornavit, quam alii paucioribus locis admiserunt [6]). Longe aliter se habet figura etymologica. Quae etiamsi, sicut universum allitterationis genus, in Plautinis fabulis floret atque multiplicibus formis redundat, tamen neque in aurea neque in argentea Latinitate evanuit, sed ut quisque scriptor eam plus minusve in deliciis habebat, ita plus minusve adhibebat. Veluti apud Ciceronem admodum aequabiliter in omnibus eius libris, apud Cornelium Nepotem contra, Velleium Paterculum, Tacitum perraro, saepius rursus apud Sallustium et Livium invenitur. In argentea Latinitate Apuleius haud mediocri artificio Plautum imitatus cum universam allitterationem tum figuram etymologicam rursus excoluit [7]). Quid? quod ne extremis quidem linguae Latinae temporibus figura etymologica exstincta est vel in exemplis longo usu tritis substitit, immo apud scriptores Christianos maximeque Tertulliano et Augustino auctoribus revixit atque nova genera adscivit, quod ex Latina librorum sacrorum interpretatione (Italam dico et Vulgatam) evidenter elucet. Hoc loco, quanti momenti Graecum et Hebraicum exemplar fuerit, haud infitior [8]). At vero idem valet ad poetas priscos tragicos et Plautum, etiamsi concedas horum versus non tam fideliter ex Graeco expressos esse quam illas, quas modo dixi, interpretationes. Illud nimirum promptum manifestumque est poetas et tragicos et comicos passim figuras etym. ex fabulis Graecis, quas retractabant aut quasi exemplum sequebantur, in sermonem Latinum transtulisse; sed si quis hanc ob causam figuram etymologi-

---

6) Cf. dissertat. meam: De Ciceronis elocutione in orationibus p. P. Quinctio et p. S. R. Amerino conspicua Wirceburg. 1878 p. 10 sqq.

7) Cf. Lorenz praef. ad Plaut. Pseud. p. 42 adnott. 38. — Koziol, der Stil des Apuleius 1872 p. 208 sqq.

8) Contra act. Apost. Vulg. 1, 17 sortem sortitus est = ἔλαχε τὸν κλῆρον.

cam Graecismum interpretetur (veluti Halm ad orat. Cic. pro Mur. § 34), id mihi alienum videtur esse ab accurata huius figurae cognitione. Mea quidem sententia Romani hanc figuram eadem ingenii proprietate et iudicii libertate excoluerunt, qua Graeci vel Germani [9]). Apparet hoc ex priscis illis formulis, quas supra adscripsimus, sermoni rituali et iudiciali propriis.

Ii denique, qui hanc figuram logica arte compositam esse suspicantur (ut ,pugnam pugnare' intelligendum sit ,pugnando pugnam efficere'), aeque longe a vera ratione aberrant atque ii qui in contraria sententia sunt, ut Weiske (de pleonasm. p. 22) et Bernhardy (Synt. gr. p. 106), qui eam nescio cui simplicitati antiquae aetatis adscribunt, „qua homines nec auribus nec mente satis acute sentiebant." Immo nobis quidem figura etymologica eiusque varia genera repetitione illa consonorum ac congenerum verborum, quae grammaticae praeterea legibus adstricta continentur, sensiferam — ut Lucretiana voce utar — et disertam eandemque sollemnem quandam speciem adepta esse videtur. Qua de causa accommodatissima erat et ad sermonem ritualem iudicialemque et ad vulgarem, quippe qua proverbia similiaque praecepta consonis vocabulis altius in mentibus infixa insiderent.

§ 1. De nomine atque historia figurae etymologicae.

Figuram etymologicam speciem quandam multiplicis et varii generis allitterationis esse supra docuimus. Allitterationis ipsum nomen nusquam apud bonos antiquitatis scriptores invenimus neque omnino aliud huius figurae vocabulum [1]). Nam Cornificius quidem 4, 12, 18 ,nimiam eiusdem litterae assiduitatem' vituperat in versu illo Enniano ,O Tite, tute, Tati, tibi tanta, tyranne, tulisti'. Primum vero huius figurae nomen occurrit apud Donat. art. gramm. 3, 5, 2 *παρόμοιον*,

---

9) De hoc aliisque Graecismis, qui ad casum accusativum spectant, his diebus scripsit F. Piger in programm. gymn. Iglav. 1879 ,Die sogenannten Graecismen im Gebrauche des latein. Accusativs'; cf. ibid. p. 15 ,Ja der Accusativ des innern Objects ist, wie es gar nicht anders zu erwarten ist, Eigenthum des *indogermanischen* Sprachstammes'.

1) Cf. dissertt. meam p. 10 adnott.

deinde apud Mart. Capell. 33 p. 474 H. ὁμοιοπρόφερον. Plerumque autem et allitteratio et figura etymologica apud grammaticos nomine paronomasiae (adnominationis) significantur tam late patenti, ut omnia vocabulis consonis effectas similitudines complectatur, veluti apud Eustathium p. 340, 30 τὸ ἀγορὰς ἀγορεύειν ἀττικόν ἐστιν ὥς τὸ βουλὰς βουλεύειν καὶ λόγον λέγειν — καλεῖται δὲ τὸ σχῆμα παρονομασία, quocum conferas Diomedem p. 446 K. ‚De paronomasia: Paronomasia est veluti quaedam denominatio, cum praecedenti nomini aut verbum aut nomen adnectitur ex eodem figuratu, ut fugam fugit, facinora fecit, gratas gratias, Creta discreta est, pugna pugnata est.‘ Alii grammatici hanc figuram vulgari nomine pleonasmi sive tautologiae appellant, inter quos Grimmius quoque est grammat. Germanic. (1837) IV p. 645 cf. Josephus Synops. V. 532 T. III ‚τῶν ἀττικῶν ἐστιν ἡ περιττολογία ὥς τὸ λέγω λόγον, γράφω γραφὴν καὶ τρέχω δρόμον‘, quocum consentit Jul. Rufinianus de schematis lexeos p. 57 H. ‚figura per pleonasmum ut . . . . obire diem et vivere vitam et pugnare pugnam et ire iter et oculis videre et voce vocans Hecaten‘ [2]). Servius denique ad Verg. Aen. 12, 680 furorem furere adnotat: ‚figura *antiqua* ut servitutem servire, dolet dolorem‘ similemque in modum Porphyrio ad Hor. carm. 3, 29, 50 ‚ludum insolentem ludere pertinax‘ addit: ‚*veteribus* usitatum elocutionis genus ludum ludere sicut vitam vivere et servitutem servire et multa similiter‘, atque Donatus ad Ter. Ad. 5, 4, 5 „vitam duram quam vixi. ἀρχαϊσμός, ut Lucilius ‚magnam pugnavimus pugnam“; quibus ducibus Wagnerus (vid. p. 3) hanc figuram archaismum videtur nominasse.

Quamquam Eustathius paronomasiam, cui nomini alii alia substituerunt, ut Schol. Dorvill. ad Plut. 517 ἀττικὴ παρήχησις, Schol. Il. XIV, 178 παρωνομασία (sic) ἐτυμολογική, saepius (p. 690, 50; 1141, 2 et 1298, 44) τρόπον ἐτυμολογικόν vocat sive τρόπον ἐτυμολογίας p. 1173, 38 et 1278, 44 etc.

Atque haec certa definitaque significatio figurae etymologicae Lobeckio auctore a grammaticis adscita est. Hic enim vir doctissimus in dissertatione ‚de figura etymologica‘

2) Voce vocans Hecaten legitur apud Verg. Aen. 6, 247. cf. §. 7.

anno 1832 scripta iterumque in Paralipomenis pg. 501—538 typis expressa primus etsi non omnes, gravissimos tamen figurae etymologicae *Graecae* ‚gradus et dissimilitudines et vim et varietatem' summa cum subtilitate persecutus est. Qua dissertatione, quae homines docti aetatis suae perperam nimisque anguste de hac figura iudicarent, ut Astius ad Plat. remp. p. 316 vel Boissonadius ad Eunap. p. 331, corrigere atque expedire sibi proposuerat. Nam tum in lingua Graeca, ut ad hos dies in lingua Latina, unam fere pervulgatamque generis figurae etymologicae speciem, qua verbum et nomen eiusdem stirpis componuntur, ut vitam vivere, obiectum internum sive verbale cognitam habebant neque eam quidem acute ac distincte pertractatam. Lobeckius igitur primus et illam usitatissimam formam figurae etymologicae certis finibus circumscripsit et omnes alias quamvis varie contextas uni generi subiecit, ‚quoniam omnia ab eadem licentia profecta sunt.' Sed ex iis, quae in hac re assecutus est, pauca in grammatica similiaque de lingua Graeca scripta redundaverunt, paucissima in grammaticam Latinam. Quid? quod Draegerus et in prima et in altera syntaxeos suae editione vol. I §. 171 nomine figurae etymologicae unum obiectum internum comprehendit, idque ipsum sine ulla diversorum ordinum distinctione tractatum.

Quamquam iam Ruddimann, Schuch, Rumpel [3]) alii, nuperrime Raph. Kuehner, gramm. lat. II, 1 § 72, 2 adnot. 1 ablativum, quem vocamus, etymologicum receperunt, et ex numero veterum grammaticorum iure suo Diomedes inter exempla paronomasiae *gratas gratias* attulit et Iul. Rufinianus *voce vocare.* Atque ita factum est, ut ad nostram aetatem, quidquid de figura etymologica disputatum est, fere ad obiectum internum tantum pertineret. Ritschelio demum duce atque principe, cum intellexissent, quanti momenti ad rectam linguae Latinae cognitionem comicorum poetarum maximeque Plauti sermo esset accuratiusque eum perquirere coepissent, ad allitterationem quoque et ad varia figurae etymologicae genera a Plauto summa cum arte exculta atque adhibita animum

3) Ruddimanni institutiones gramm. Lat. ed. Stallbaum 1823. — T. Schuch: Der Objectsaccusativ der latein. bes. poetischen Sprache 1844. p. 21. — Th. Rumpel: Die Kasuslehre 1845. p. 174.

advertebant homines docti. Huc spectant observationes quaedam dispersae apud interpretes fabularum Plautinarum et Terentianarum, ut apud Brixium, Spengelium, Wagnerum, Dziatzkonem, Meissnerum maximeque apud Lorenzium, qui in praefatione ad Plauti Pseudolum p. 36 sqq. etsi non omnia, tamen gravissima figurae etymologicae genera adumbravit. Simili denique modo M. Seyffert cum aliis locis in commentariis ad Ciceronis Laelium tum p. 317 editionis secundae nonnulla figurae etymologicae genera breviter ac summatim percurrit.

Quae cum ita sint, aliquid addere mihi videbar ad subtiliorem huius loci cognitionem, si singulos huius figurae etymologicae gradus quam plenissimos, quomodo nati atque exculti essent, persecutus certum huius rei fundamentum linguae Latinae ita iacerem, ut Graecae Lobeckius subiecit. Huius enim viri doctissimi disserendi ratio ut mihi luculentissimum exemplum praebebat, ita copiosissimae ab eo ex universis Graecorum litteris collectae similitudines potestatem mihi fecerunt Latinae figurae etymologicae naturam indolemque omnibus ex partibus illustrandi.

§ 2. De natura ac generibus figurae etymologicae.

Cum iam supra universe de figurae etymologicae natura (p. 3) disseruerim quibusque notis potissimum discrepet ab aliis allitterationis generibus, hoc loco necesse erit certis clarisque verbis definire ipsius vim atque indolem. Est igitur figura etymologica compositio duorum congenerum vocabulorum, quae item grammaticae legibus arctissime inter se conexa unam eamque amplificatam atque disertissimam notionem efficiant.

Quae definitio quam vera ac recta sit, liceat diversis quibusdam dilucidisque figurae etymologicae exemplis demonstrare, quae eadem et adumbratam, generum quae insit in figura etymologica varietas, imaginem praebeant et qua nos via ac ratione in hac re perscrutanda utamur doceant.

Ac quod ad primam quidem figurae etymologicae legem attinet, necessitudinem dico verborum etymologicam, Romani quam sane modica sollertia in hac doctrina versati sint, neminem fugiet, qui etymorum Varroniana quaedam

specimina legerit. Quocirca mirandum non est, quod nonnulla figurae etymologicae exempla a grammaticis laudata, quae nunc est rerum etymologicarum scientia, a ceteris seiungenda sunt, veluti illud ‚Creta discreta est', quod Diomedes (vid. p. 6) similibus consonis formulis ut ‚pugna pugnata est' aliis adnectit. Eiusmodi exempla, si quae offendimus, fere omnia Plautina atque cum ex illa mediocri ἐτυμολογίας scientia, tum maxime ex Plauti ingenio et lepore, qui talibus consonorum verborum compositionibus studiose luxuriatur, orta ac profecta sunt, ut *verbis verberare, dolum dolare, domi domitus sum*, quas locutiones pseudetymologicas figuras nominare liceat. Spectant autem hae ut aliae formulae, quas per iocum confinxit, velut *Ballionem exballistabo, ex aedibus exaedificare*, *dentes dentiunt*, magis ad eam, quae proprie dicitur paronomasia, figuram.

Ad hanc primam figurae etymologicae legem accedit altera, necessitudo grammatica, qua singula formularum vocabula inter se conexa maxime abhorrent a ceteris compositionibus consonis. Atque figura etymologica ad diversissimas syntacticas structuras efficiendas uti cum alii tum Plautus summa cum sollertia conatus est, quarum quidem aliae in sermonem Latinum irrepserunt, sed simul cum morte auctoris demortuae sunt, velut formulae: *laete laetus*, *parce parcus* (§. 20); aliae ex tenuissimis initiis profectae eodem auctore in domestica dictione laetissima incrementa ceperunt, ut *cursim currere*, *valide valere* (§. 22). At profecto mirum est, quantopere in hac re a sermonis Plautini audacia discrepet Terentius, apud quem usum singulorum figurae etymologicae generum iam iis regulis circumscriptum videmus, quas postea solutae orationis scriptores, (minime vero, id quod summe mirabile est, poetae) cautius observant. Namque Lucilius, Lucretius maximeque Catullus figura etymologica multo maiore licentia usi sunt quam Terentius [1]), qui ut Cicero potissimum accusativum et ablativum etymologicum — ut bre-

---

1) De usu allitterationis apud Plautum, Ennium, Terentium, Lucilium, Lucretium Jordan l. l. p. 172 ex sexcentis versibus cuiuslibet libri vel fabulae hoc memorabile collegit: ‚Es kommt in diesen Stücken bei Ennius auf $7^1/_2$, bei Lucilius auf $9^5/_6$, bei Lucrez auf $16^1/_2$, bei Plautus auf $8^5/_6$, bei Terenz auf 20 Verse je eine Allitteration'.

vibus vocibus utar — usurpat, nullo loco formulas admisit velut ,gratas gratias, laete laetus, certo certius, cupide cupere, rex regum, properare propero'. Iam quae paucissima reliquorum generum exempla exstant, ea excusationem repetunt aut ex Graeco exemplari aut ex vulgari vel proverbiali usu. Cf. *actum aiunt ne agas* Phorm. 419 [2]) (plura de h. f. vid. §. 19 d); Cicero in ep. ad Attic. 9, 18, 3 *actum ne agas; amicus amico* Phorm. 562 (vid. §. 14); *expers partis* Haut. 652 = ἄμοιρος μέρους, illi simile, quod Cicero uno loco licentius dixit Phil. 1, 5 *sepultura insepulta* (ἄταφος τάφος).

Atque hoc Terentii taedium, quo imbutus audaciora figurae etymologicae genera sedulo evitabat, altera quoque re cognoscitur, quod pro vocabulo congeneri sive etymologico synonymum substituebat; quam attenuandi rationem auctore Schoemanno opusc. III p. 203, IV p. 54 permutationem vocamus [3]). Hoc modo formulam et Plautino et probatissimorum scriptorum inprimisque Sallustiano sermoni propriam *facinus facere* aspernatus dicit Ad. 449 tam illiberale facinus esse *ortum,* alio loco Phorm. 1008 facinus miserandum *actum;* pariter ei, quod apud Plaut. Bacch. 1076 legimus *turbas turbare,* respondet apud Terent. Eun. 616 turbas *facere,* ibid. 654, Haut. 402 turbas *dare;* quaeque apud Plaut. Lucil. Cic. Liv. (cf. §. 5) permultis locis exstat formula *pugnam pugnare,* non solum frustra quaeritur apud Terentium, sed per permutationem nova orta est: pugnam *dare* Eun. 899. Similia exempla sunt: Plaut. Curc. 533 *iratus iracundia,* Ter. Ad. 310 *ardeo* iracundia; Plaut. Curc. 535. 688 *propere properare,* ibid. Pseud. 346 L. *cursim currere,* Ter. Ad. 353, Hec. 808 *propere curro;* vere Plautina est plenissima formula Aul. 2, 8, 23 *propere propero currere,* Terentiana debile illud *propere curro;* cf. etiam Hor. carm. 1, 8, 10 *cautius vitare,* Plaut. Men. 151 *caveo cautius.* Cuius permutationis exempla unicuique figurae

2) De his quasi excusationis causa additis formulis: ,ut aiunt, ut dicitur' similibus, quae proverbialem usum indicant, cf. dissertt. meam p. 18.

3) Opusc. vol. IV p. 54 (1871) *στροφὰς στρωφᾶσθαι, ἄλας ἀλᾶσθαι*: hanc Lobeckius figuram etymologicam dixit, illam alteram *στροφὰς ἀλᾶσθαι, ἄλας στρωφᾶσθαι*, quae certum usuque receptum nomen non habet, equidem in scholis grammaticis *permutationem* dicere solitus sum; permutantur enim verba cognatae significationis.

etymologicae generi inseremus, sed paucissima maximeque perspicua tantum propterea, quod si plura afferremus, longius praesertim in tractando obiecto interno a proposito nostro aberraremus.

Iam ad tertium locum, quo supra docuimus figuram etymologicam a ceteris eiusmodi allitterationis generibus discrepare, pervenimus, quod duo illa vocabula etymologica necessitudine inter se conexa unam eamque amplificatam atque disertissimam notionem efficiunt. Hoc loco vim quandam figurae etymologicae attingimus, quae — id quod mihi absoluta iam hac dissertatione persuasissimum est — natura huic insita, mox paulatim obscurata in paucis generibus singulisque formulis conservata haerebat. Atque hanc gravissimam rem, quae ad omnia figurae etymologicae genera pertinet, ut suis locis copiosius tractabimus, ita hoc loco universe paucis idoneisque exemplis perstringere atque illustrare non alienum putamus. Quae vis maxime perspicue cognoscitur ex ablativo etymologico modali, ut in formulis *occidione occidere* (ap. Cic. bis, saepius ap. Liv.) bis zur völligen Vernichtung schlagen, *voce vocare* laut rufen apud Vergilium; contra Ovidius ep. 10, 34 dixit *summa v. v.* Simili modo scriptum invenimus apud Plat. sympos. p. 195 B φυγῇ φεύγειν τὸ γῆρας i. e. *omni* contentione aliquid fugere; quae formula in sermone Latino attributo carens magnam ponderis partem videtur amisisse, si quidem Cato fragm. p. 45 Jord. dicit ‚fugit *maxima* fugela‘ et Apuleius imitator sermonis prisci ‚*magna* fugela in ganeum fugit‘ apol. 627, 98 H.; plura vid. §. 7. — Eadem vis inest in formulis etymologicis ‚*rex regum*, *dux ducum*‘, quae eaedem illam unam notionem efficiunt = Oberkönig, Oberfeldherr. cf. etiam locutionem ap. Petron. sat. 44 rectus, certus, *amicus amico;* quae significat, quod nos dicimus: ein wahrer Freund.

Ceterum moneo omnes eas formulas etymologicas, quae attributo nullo addito hac exaugendae notionis vi praeditae sunt, admodum saepe nobis occurrere ut ‚voce vocare, rex regum, amicus amico‘; unde colligas in communem dicendi usum eas receptas esse in eoque quasi conduratas permansisse, contra novas quasdam vel rariores eiusmodi locutiones neminem ausum esse inducere.

Extrema huius paragraphi parte monendum puto me sin-

gulis figurae etymologicae generibus, quantum in me erat, similitudines quasdam adiecisse, alia ex Graeca, alia ex Germanica et Romanicis linguis. Ac Germanicae quidem linguae, praeter ea quae de meo sumpsi, idoneam materiem praebuit inprimis Grimmii grammat. German. 1837, linguis romanicis Diezii gramm. ling. rom. ⁴ 1877.

Iam transeuntes ad ipsam dissertationis divisionem iterum in memoriam revocamus nostram disserendi rationem ut Lobeckianam hac re maxime differre ab obsoleta illa Draegeri aliorum, ut non solum accusativum ad figuram etymologicam referamus, sed etiam, si qui alii casus vel aliae orationis partes verbo eiusdem originationis adiunguntur.

Itaque dissertationem nostram tripartitam ita pertractaturi sumus [4]), ut dicatur:

I. De etymologicis nominum cum verbis copulationibus: vitam vivere, odio odisse, potestas potest.
appendix: de adiectivis diversis substantivorum casibus adiunctis: expers partis, laetus laetitia, exlex legibus.

II. De copulationibus etymologicis duorum nominum et verborum: rex regum, pulchra pulchritudo, propero properare.

III. De gradatione et comparatione notionum etymologica: stulte stultus, misere miseret, miserorum miserrimus, pessimorum pessimus, stulto stultior, stultior stultissimo.

Caput I.

De etymologicis substantivorum cum verbis copulationibus.

A.

De accusativo etymologico sive de obiecto interno (verbali).

§ 3. Usque ad nostram aetatem homines docti, ut iam in praefatione docuimus, de uno tantum figurae etymologi-

---

4) Liceat brevitatis causa in hac dissertatione voce ‚etymologicus‘ uti ne, verborum ambagibus velut ‚eiusdem stirpis, originationis esse‘ legentium animos fatigemus.

cae, quod quidem ad linguam Latinam attinet, quamquam amplissimo genere, obiecto interno, quaesiverunt, sed ne hoc quidem recto iudicio expediverunt, cum praesertim varias huius ipsius generis species non satis distinguerent, immo una, ut dicitur, pertica iudicarent. Quamquam paulatim sibi persuaserunt maximi momenti in hoc genere esse attributivam quandam definitionem obiecto adiunctam, quippe quod sine eiusmodi attributo ad meram tautologiam referendum esset (cf. Kuehner, l. l. II, 1 §. 72 c); sed hac lege proposita quid sibi volunt illae formulae, quae hoc adiecto attributo carent? Quae formulae, quomodo aliter ab aliis interpretibus expeditae sint, suo loco commemorabimus.

In tanta grammaticorum dissensione si quis certa assequi velit, nihil proficiet, nisi a plenissima profectus erit huius etymologici generis exemplorum sylloge, quae mihi, ut in hoc, sic in reliquis figurae etymologicae generibus per omnes Latinitatis aetates suppeditat. Atque ex hoc sexcentorum locorum conspectu quod nobis de accusativo etymologico iudicium natum est, id dissertatione nuperrime edita ab Alfredo Biese: „de obiecto interno apud Plautum et Terentium (Kiliae 1878)“, etsi non omnibus locis cum eo consentimus, confirmatum atque stabilitum est (p. 7—10).

Obiecti interni igitur natura haec est, ut quae iam in verbali vi insit substantialis quaedam indoles, ea ipso obiecti congeneris accusativo clarius disertiusque exprimatur. Haec verba cum plerumque intransitiva sint et obiecti interni demum beneficio transitivum quendam colorem adsumant, non ita pauca verba principio intransitiva vi praedita propter ipsum obiectum internum ad transitivam significationem abierunt. Velut verbum *turbare* septem locis apud Plautum intransitive usurpatum est, ut Men. 486 turbare gestio; sed eandem vim apud eundem habet obiectum etymologicum: *turbam* (*as*) *turbare*, ut Bacch. 1076 quas turbas turbas; eandem denique vim formulae: *turbas facere* Asin. 824; Bacch. 1057; Ter. Eun. 616, et *turbas dare* Eun. 653; Heaut. 402; Caecil. com. 101 R. Quem gravissimum locum propterea strictim attigimus, quia a Biesio summa cum subtilitate pertractatus est.

I.

§ 4. De obiecto interno sine attributo.

Quod in §. 2 universe de vi quadam figurae etymologicae inhaerenti exaugendae notionis diximus, id ad hoc obiecti interni genus, cum nullum attributum ad substantivum accedat, revocandum esse facile aliquis coniecturam ceperit. Sed haec ipsa singularis figurae etymologicae vis atque nota in usitatissimo genere minime perspicua exsistit nisi in formula *vitam vivere* duobus locis Plautinis, quibus ab affectu et indignatione quadam sermocinantium proficiscitur: Pl. Pers. 4, 3, 24 „faciam, ut mei memineris dum vitam vivas" = dein *ganzes* Leben lang [1]); ibid. Merc. 473 „quando id mi adimitur, qua causa vitam cupio vivere" = ein lebenswerthes Dasein führen. Atque alios locos, quibus Biesius l. l. p. 8 hanc vim inesse in locutione „vitam vivere" contendit, ad alterum genus obiecti interni definitione aliqua instructum referendos equidem esse puto; nam Mil. 726 „uno exemplo ne omnes vitam viverent" uno exemplo etc. idem valet atque *eandem* v. v. et Epid. 387 ‚cogitarent postea vitam ut vixissent olim in adulescentia' ut v. v. valet: *qualem* v. v. cf. Mil. 628 „*tamne* tibi diu videor vitam vivere" = *talem*, quem locum Biesius recte ei parti inserit, ubi „attributi loco adverbium verbo adiungitur" p. 9.

Huic formulae „vitam vivere" alteram et ipsam creberrimam et a grammaticis saepe cum illa una positam (cf. p. 6) adnectimus *servitutem servire* sine attributo, quae formula prisco iudiciali dicendi generi peculiaris, id quod permultos interpretes praeteriit (cf. Biese p. 8; Seyffert l. l. p. 318), atque in numerum aliarum eiusmodi locutionum redigenda est, ut: „noxam nocere, censui censendo, locum lautiaque locare, cautionem cavere".

servitutem servire: cf. Quintil. 7, 3, 26 qui in servitute est eo iure quo servus aut ut *antiqui* dixerunt, ‚qui servitutem servit'; ex cod.. Farn. 250 „potitus servitute, qui ut ait La-

---

1) Cf. similes locutiones: Pl. Capt. 4, 2, 20 faciam ut huius die locique meique *semper* memineris; Ter. Eun. 4, 7, 31 faciam ut huius loci dieique meique *semper* memineris; Ter. Haut. 950 adeo exornatum dabo . . ut *dum vivat* meminerit *semper* mei.

beo, servitutem servit". Atque ex iudiciali sermone transiit in vulgarem = morem gerere, obsequi cf. Pl. Trin. 302 tuis servivi servitutem imperiis, ibid. 304. Reliqui loci sunt hi: Plaut. Capt. 391. 544; Aulul. 4, 1, 6; Mil. 97. 482. 745; Cic. pro Mur. § 61; top. § 29; Liv. 40, 18, 7; 45, 15, 5; Apul. d. Pl. 2, 241, 19 H. nec dominari sed *servire servitium;* Fronto p. 65 N. ‚nos qui doctorum auribus *servituti serviendae* dedimus', quae locutio sensu quidem illud Plautinum Trin. 302, forma insequentem et ipsam priscam imitata est formulam:

censui censendo: lex censui censendo (= formula census, formula censendi, formula censualis; cf Mommsen Staatsrecht II² p. 360) Liv. 43, 14, 5; praedia censui censendo Cic. p. Flacc. §. 79; cf. Paul. ap. Fest. p. 58.

noxam nocere ap. Liv. 9, 10, 9 in prisca fetialis formula et in XII tab. ap. Schoell. l. l. XII, 2 ‚servus furtum faxit noxiamve noxit.'

locum lautiaque locare in fragmento senatus consulti C. I. L. I. 203, 8; de hac formula cf. Weissenborn ad Liv. 28, 39, 19 [2]); loca lautia praebere Apul. Met. 3, 200, 26 H.

cautionem cavere Dig. 46, 8, 6.

In his formulis forensibus verbum congener pro late patente verbo „facere" similibus positum est, ut etiam ex illa formula XII tab., ubi „noxiam noxit" et „furtum faxit" una ponuntur, elucet. Quae antiquissimae elocutiones potissimum propter allitterationem, quae quantopere floruerit vigueritque in iudiciali genere iam initio huius dissertationis exposuimus, in communi sermone quasi conduratae retinebantur. Atque idem allitterationis studium in Plauto fuit, ex quo solo originem ducunt structurae quaedam obiecti interni sine attributo simillimae illis circumscriptionibus, quae verbo „faciendi" aliis formari solent, ut „obsequentiam facere" = obsequi etc. Occurrunt hae:

messem metere Epid. 701: pro benefactis cum mali m. metas; *obsonabo obsonium* Stich. 440: utraque formula

---

2) *Locus lautiaque* eandem allitterationem efficiunt quam voces *lautus-locuples* Cic. ep. Attic. 8, 1, 3; Tac. dial. 22. De rustica pronuntiatione au = o cf. acta I p. 371.

etiam cum attributo quodam invenitur, cf. § 5; *statuam statuere* Asin. 712, passive Bacch. 640, ut *certamen cernitur*, *specimen specitur* ibid. 399 et Cas. 3, 1, 2 (specimen cernitur Most. 132).

Eodem denique allitterationis amore inductus Plautus locutiones aliquas confinxit, quas hoc loco adscribere placuit: *Venerem venerabor* Poen. 273, et *Venerem* hanc *veneremur* bonam Rud. 305, cf. Varr. r. r. 1, 1, 6 ad*veneror* Minervam et *Venerem*; *Pietatem piare* Asin. 506; iocose dicta sunt: *Ballionem exballistabo* Pseud. 585 et pseudetymologica figura [3]): *dolum dolare* Mil. 938; cf. „Creta discreta est" ap. Diomed. grammat. p. 446. Duas formulas inserimus: *lucum collucare* Cato r. r. 139 et *praestrigias praestringere* Caecil. com. 209 R., quarum in utraque de substantivorum etymologia adhuc sub iudice lis est. cf. Vanicek Griech.-Lat. etymolog. Wörterb. 1154. 818.

Praeterea huc pertinent formulae, quod genus „messem metere", ubi „metere" idem valet ac verbum generale „faciendi"; — quas iam alio loco observavimus [4]) vulgari maxime sermoni proprias esse: circumscribitur autem hac substantivi cum verbis „facere, capere, dare, reddere" structura saepissime verbum tantum, ut sit „obsequentiam facere = obsequi Pl. Asin. 65; fugam facere = fugere Ter. Eun. 787; numerum capere = numerare" Pl. Aul. 4, 10, 68 etc., quarum locutionum una in communem omnium optimorumque scriptorum usum recepta est: „coniecturam capere vel facere" cf. etiam supra p. 13.

Simili modo locutione „*dicta dicere* vel facessere" (Pl. Men. 2, 1, 24) nullo attributo apposito veteres poetae comici et tragici — id quod nondum observatum est — non ea significatione utebantur, qua posteriores „Witzworte sagen", sed simplici = dicere, sprechen, ut elucet ex Pl. Cas. 3, 5, 50 „si scias dicta quae dixit hodie — istuc expeto scire, quid dixit" = quae dicta dixit. Aliis locis ipsa dicta, qualia sint, adiectivo vel adverbio quodam adiecto definitur, ut „dico unum *ridiculum* dictum Capt. 481; *sapienter* d. d. Rud. 1250 (*docta*

---

3) Graeca exempla sunt: *ἄγειν ἄχθος* Soph. El. 128, *Ἀλήιον πεδίον ἀλᾶσθαι* Hom. Il. 6, 201 cf. La Roche ad h. l.

4) Cf. dissertt. meam p. 21; acta I p. 451.

dicta loqui Trin. 380); *mala* d. d. Pseud. 372; contra ap. Cic. Phil. 2 § 42 „dicta dicere" et ap. Martial. 6, 44, 3 „dicteria dicere" dicta et dicteria idem significant, quod apud Francogallos „bons mots". Atque ad hunc diversum usum veteris et posterioris Latinitatis spectant illae facetiae, quarum Cic. de orat. 2 § 222 mentionem facit, cum in versu quodam Enniano ‚bona dicta' = bons mots interpretarentur ‚nonnulli ridiculi homines', Ennius autem praecepta salutaria intelligi voluisset. Cicero addit: „haec scilicet bona dicta, quae salsa sint, nam ea *dicta* appellantur proprio iam nomine"[5]).

Pariter locutionem „*facinus facere*" in vetere sermone idem valuisse, quod nos dicimus: eine Unthat, Schandthat verüben, nullo addito attributo, scriptorum priscorum usu minime comprobatur, immo semper adiectivum quoddam, ut „malum" accedit; cf. Enn. annal. 249 V, Plaut. Bacch. 682, Most. 460 *malum* f. f.; *peius*, *scelestius* Men. 447. Illa angustiore vi hanc vocem instructam reperimus apud Catull. 110, 4 ‚saepe facis facinus' et apud Cic. fin. 2 § 95 ‚vide ne facinus facias', quo loco Madvigius adnotat hanc formulam imitationem esse sermonis familiaris (non poetici). Cuius sententiae nos assentimur collato loco Cic. fam. 14, 1, 5, quo Cicero similem etymologicam familiarique potissimum sermoni propriam formulam simili modo inducit: „vide ne puerum perditum perdamus."

Atque his duabus usitatioribus locutionibus (dicta dicere, facinus facere) transitionem fecimus ad tertiam speciem generis accusativi etymologici; sunt autem eae formulae, in quibus substantivum etymum propria vi utatur. Quarum locutionum hoc loco eas omisimus, quibus ad substantivum quamquam propria vi utens attributum aliquod accedit, easque secundo obiecti generi latissime patenti adscripsimus.

actiones peragere Liv. 3, 20, 1; cf. Weissenborn ad h. l.; *aedes aedificare* Cat. frag p. 57 Iord.; *coniugia coniuncta* Cic. fin. 4, § 17; cf. *iumenta iuncta* Nep. Tim. 4, 2; *consilia* sunt *consulta* Pl. Truc. 1, 2, 7; cf. consulto consilio § 16; *damnum* (= daminum, *τὸ διδόμενον*, si verum est quod docet

5) Cic. ap. Macrob. sat. 2, 1, 14 „itaque nostri, cum omnia, quae dixissemus dicta essent, quae facete et acute locuti essemus, ea proprio nomine appellari dicta voluerunt."

Ritschl op. II 709, ut sit alumnus = aluminus, Vertumnus = Vertuminus) *dare* Pl. Truc. 2, 1, 17, Ter. Andr. 143, Cic. p. Tull. § 5. 8. 11. 28. 34. 39 atque ex interdicto iudiciali repetitum ibid. § 7. 12. 27. 28. 31; *domum dominari:* inc. inc. fab. trag. 184 R.; *faciliam facere* = facultatem f. in titulo quodam C. I. L. I. 542. Quam vocem Garrucius (sylloge inscript. Lat. 1877) nro. 892 restituit (ex facilia) adnotans: „facilia dici pro faciliam mihi certum est, hoc vero vocabulum ea analogia a facile, ut facultatem, derivare potuit antiquitas, qua ex volupe fecit volupiam et voluptatem, ex aequo aequitatem, ex famulo familiam et famulitatem"; *fata fari* Caecil. 265 R., Enn. annal. 19 V.; *pacem pacisci* Liv. 29, 12, 1; 31, 29, 13; 40, 25, 3; *pensiones dependere* Front. p. 193 N.; *p. pensitare* ap. Bruns fontes iuris Rom. [2] p. 175; *pocla potitare* Pl. Asin. 771; *sermones serere* Caecil. 152 R. Pl. Curc. 193, ibid. 290 conserere s.; *stipendium pendere* in leg. agrar. a. 643 u. c. C. I. L. I. 220.

In formulis: *regredi gressum* Enn. trag. 5 R. et *luctum eluxisse* Gell. 7, 5 verba cum praepositionibus composita certam definitamque notionem efficiunt.

II.

§ 5. De obiecto interno cum attributo.

Hoc alterum genus obiecti interni multo crebrius invenitur quam illud sine attributo. Accedit autem plerisque locis aut pronomen vel adiectivum aut attributi loco adverbium vel alia quaedam definitio adiungitur.

auspicium auspicari: prosperum Naev. ap. Non. 468, 28.

basia basiare: multa Catull. 7, 9 (cf. Scheffel Trompeter: einen Kuss küssen); de vulgari voce „basium" cf. acta I p. 46. *bellum bellare: hoc* b. a consulibus bellatum Liv. 8, 39, 6. Front. p. 204 N.; de permutatione „pugnare bella" cf. p. 23.

cantilenam canere: eandem Ter. Phorm. 495; qui *malum carmen incantassit* XII tab. VIII. 26 ap. Schoell. l. l.; cf. cantu canere, carmine cantare § 8.

cenam cenare: scelestiorem Pl. Rud. 507 (permutatio: cenitare epulas p. 23).

cogitationes cogitabam: exercitius Apul. Met. 11, 1089, 29 H. *consilium consultum: bene* Pl. Mil. 600.

cursus currere: *eosdem* Cic. leg. agrar. II § 44; *suum* c. transcurrere Brut. § 282; *curriculum currere:* Minervae Apul. Apol. 550; cf. curriculo currere § 7.

dicta dicere: istaec Pl. Trin. 77; *ridiculum* Capt. 481; *sapienter* Rud. 1250; *indignum* Asin. 698; *quae* Bacch. 698, Cas. 3, 5, 49; *haec* Cas. 1, 51; *aliquod* dictum dici potuisse Cic. p. Planc. § 85, sed Phil. 2 § 42 dicta dicere; cf. p. 17.

escas escitare: meas Plaut. Pseud. 830.

facinus facere: audax Pl. Mil. 309, Ter. Eun. 643; *capitalia* Caecil. com. 203 R.; multa et *clara* Tacit. annal. 12, 31 (haec formula unicum exemplum fig. etym. apud Tacitum est; cf. Sallust. s. v. praeclarus); *crudelia* Sall. Cat. 11, 4; haud *decorum* Pl. Aul. 2, 2, 43; *duplum* Pl. Bacch. 641; *ea* Pl. Mil. 621; *festivum* Pl. Poen. 1, 2, 98; pluruma et *flagitiosissima* Sall. Iug. 32, 2; *foeda* Sall. Cat. 11, 4; *fortia* Gell. 5, 2, 4; Front. p. 68 N.; *humanum* Pl. Truc. 2, 1, 8; *immortalia* Pl. Most. 777; *indignum* Pl. Curc. 24; Most. 460; *tepidum* Pl. Poen. 1, 2, 98; *magnum* Pl. Pseud. 512, *magna f. ecficere* ibid. 590; maximum inc. inc. fab. trag. 64 R., Pl. Bacch. 925; *malum* Pl. Bacch. 682, Most. 460, Enn. annal. 249 V.; peius Men. 447; pessimum Liv. 1, 41, 3; *memorabile* Liv. 24, 22, 16; *mirabilia* Cic. Phil. 2 § 109; *mirum* Pl. Pseud. 512; *multa* et praeclara Sall. Iug. 5, 4, Cat. 53, 2 eumque imitatus Tacitus annal. 12, 31 *multa* et clara; pluruma et flagitiosissima Sall. Iug. 32, 2; *nefandum* auct. bell. Hisp. 16, 4; *nefaria* Sall. Cat. 51, 6; *peius, pessimum* v. s. v. malum; *plurumas* v. s. v. multa; *praeclarissimum* Cornif. 4 § 68; multa et *praeclara* Sall. Iug. 5, 4, Cat. 53, 2 eumque imitati Pseudosall. de rep. ord. II § 2 tanta et tam *praeclara* et Tacit. vid. s. v. multa; *quantum* inc. inc. fab. com. 39 R.; *quod* Catull. 81, 6; *scelestius* Pl. Men. 447; *tale* Sall. Cat. 7, 6; 19, 5; *tantum* Curt. 3, 8, 5; *tanta* et tam praeclara Pseudosall. de rep. ord. II § 2; denique cf. duos locos, quibus haec formula sine attributo exstat p. 17.

facta facere: scelesta Pl. Mil. 734; *improba* Truc. 2, 7, 3; *haec* Bacch. 908; *quae* ibid. 379, Propert. 4, 25, 16; *irrita* Ovid. Met. 3, 3, 36.

metuo ne quam *fraudem frausus* sit: Pl. Asin. 286; falso Liv. 23, 14, 3.

furorem furere: hunc Vergil. Aen. 12, 680.

gaudia gaudere: *mea* Ter. Andr. 964; *quanta* Catull. 61, 119; *suum* Cael. in Cic. ep. fam. 8, 2, 1; *genuinum* Gell. 9, 9, 15; *magnum* Andreas Berg. 14; cf. gaudio gaudere p. 27 et 29.

gratiam gratificari: perversam Pseudosall. de rep. ord. I § 7.

insanire insaniam: *hilarem* Sen. de vit. beat. c. 12; cf. *μανίαν ἐμάνη* Him. Eclog. 3, 70; *ἐρρωμένην* Lucian advers. Ind. § 22; *ἀνήκεστον* Achill. Tat. 6, 13, 142, Lobeck. l. l. p. 506 (de permutatione „errorem insanire“ vid. p. 23).

iter ire: inceptum auct. bell. Afric. 75; *constitutum* ibid. 6; *unius diei* Liv. 21, 27, 2; cf. „itinere ire“ § 8 et „per iter — ire“ § 11.

iudicium iudicare: inclutum Enn. trag. 55 R.

iusiurandum iurare: verissimum pulcherrimumque Cic. fam. 5, 2, 7.

laudes laudare: meas Front. p. 164 N. cf. laudibus laudare § 8.

ludum ludere: consimilem Ter. Eun. 586; *insolentem* Hor. carm. 3, 29, 50; cf. Porphyr. ad h. l. (v. sup. p. 6); *eum* Gell. 18, 13, 4 (Goethe: gar schöne Spiele spiel' ich mit dir); cf. ludo ludere § 8.

machinam machinari: aliquam Pl. Bacch. 2, 2, 54.

mandata mandare: mea Cic. ad Att. 5, 2, 1.

messem metere: maximam Pl. Trin. 33.

militiam militare: illam Pl. Pers. 232.

moenia moenire: magna Pl. Mil. 228.

noctem pernoctare: perpetem Pl. Truc. 2, 2, 23.

nomen nominare: meum inc. inc. fab. trag. 97 R.; Ter. Phorm. 739 (742 nomine istoc appellare); duplex accusativus invenitur in veteribus titulis ut C. I. L. I. 1007 nomen nominarunt Claudiam; cf. Front. p. 35 N. arborem, quam ille suum (Klussmann emendatt. Fronton. *surum*) nomen catachannam nominabat.

nuntium nuntiare: exoptabilem Pl. Stich. 395.

nutum numenque adnuere: vestrum Liv. 7, 30, 20.

opsonium opsonatum est: opulentum Pl. Bacch. 96.

prandium prandere: calidum Pl. Poen. 3, 5, 14.

preces precari: bonas Cat. r. r. 134. 139. 141; cf. precibus precari § 8.

pugnare pugnam: haec formula prioribus linguae Latinae aetatibus exceptis duobus locis passive tantum exstat, qui sunt ap. Plaut. Pseud. 524 „*istam* pugnam pugnabo“ (cf. ibid. 525 dabo pugnam claram; Capt. 585, Bacch. 273, Ter. Eun. 897) et ap. Lucil. 1057 L. „*magnam* pugnavimu' pugnam“. Memorandum est iam Diomedem grammaticum l. l. p. 6 passivam structuram: „pugna pugnata est“ citare. Reliqui loci passivam structuram ostendunt: *acerrima* p. pugnata Cic. p. Mur. § 34; tam *claram* p. pugnatam Liv. 9, 37, 11; *ea* p. pugnata Liv. 40, 52, 6; *haec* p. pugnata Pl. Amph. 253; *hac* p. pugnata Nep. Hann. 5, 1; *inclitam* p. pugnatam Liv. 6, 42, 5. Scriptores argenteae Latinitatis hanc legem omnibus fere locis observabant; cf. Gell. 15, 18, 3 p. *quae* pugnata est, sed id. 3, 8, 3 ‚cum pugnas *prospere* pugnasset‘ activam structuram exhibet; inc. Paneg. in Constant. c. 6 *alia* p. pugnata est; Pacat. Pan. c. 8 *gravissimas* p. pugnatas. — Permutationis exempla haec habes: proelia pugnavi non dicenda Musis Hor. carm. 4, 9, 19; depugnato proelio Pl. Men. 5, 6, 31; proelium male pugnatum Sall. Iug. 54, 7.

questus queri: haud faciles Stat. silv. 4, 8, 32.

reliquias relinquere: paucorum mensium Pl. Most. 81.

risum ridere: sardonium Cic. fam. 7, 25; cf. risu ridere § 8.

sectam sequi: *Antonii* ep. Cic. ad Brut. 1, 3, 4; *cuius* Cic. ep. fam. 13, 4, 2; *eius* Liv. 8, 19, 10; 36, 1, 5; 42, 31, 1; *eorum* Naev. ap. Serv. in Aen. 2, 797; Cic. p. Sest. § 97; *Eunominianam:* anonym. Vales. § 78; *hanc* Cic. p. Flacc. § 104; *meam* Liv. 29, 27, 2; *philosophorum* Cic. Brut. § 120; *quam* Cic. de nat. d. 2 § 57; *suam* Liv. 35, 49, 5; *exsequi* sectam: Catull. 63, 15.

sententiam sentire: ita Pl. Curc. 217.

sermones serere: similes Pl. Mil. 3, 1, 106.

servitutem servire: bene Pl. Pers. 7; *recte* Rud. 747; *scelestam* Curc. 40; *sempiternam* Pers. 34; *privatam* Capt. 334; saepius invenitur sine attributo cf. p. 15.

somnium somniare: *quod* Pl. Mil. 381; *consimile* ibid. 400; *mirum* Rud. 597.

spectamen adspicere: miserum funestumque Apul. Met. 4, 282.

spem sperare: haec sperata ep. Pl. Merc. 5, 2, 2; haec speranda nobis spes est Commodian. carm. apolog. 299 (ed. Ludwig).

spiritum spirare: illos Pseudo-Apul. Mund. 341.

statuam statuere: Arionis Hygin. Astron. p. 57, 25 Bunte.

sudorem desudare: vinolentum Apul. Apol. 504, 59 H.

testem testari: te Pl. Rud. 1339.

triumphum triumphare: novem Gell. 2, 11, 4; cf. triumphare triumpho § 8.

turbam turbare: quas Pl. Bacch. 1076; cf. facere, dare (nos: Keine Ruhe geben) turbam(s) p. 13.

victoriam vincere: ipsam Cic. p. Marc § 12; Sen. ep. 9, 19.

vigiliam vigilare: nullas Gell. praef. 19; *primam* Front. p. 207 N.

vitam vivere: caelibem Gell. 5, 11, 12; *duram* Ter. Ad. 859; *eam* Cic. Cat. m. §. 77; *ferinam* Commod. instruct. 2, 10, 9; *fortunatam* Turpil. 143 R.; *honestam* Apul. D. Pl. 2, 248, 22 H. — quam formulam saepius legimus in titulis sepulcralibus: *honestam* vitam vixit, ut C. I. L. I. 1273 vel *honeste* v. v., ut in titulis Africanis (ed. Hoffmann Argentorat. 1878) nro. 1048; cf. ibid. p. 118 (364); *illam* quam Cic. p. Cluent. § 170; *iucundissimam* Plin. ep. 9, 32, 1; *Iudaicam* Sueton. Dom. 12; *modice* Pl. Pers. 3, 1, 18; *qua ratione* Apul. apol. 498, 24 H.; *tam* Pl. Mil. 628; *tranquillissimam* Gell. 17, 19, 6; *tutiorem* Cic. Verr. 2 § 118; *uno exemplo* Pl. Mil. 726; *ut* Pl. Epid. 3, 3, 6; *vecticulariam* Cat. fragm. p. 73 Iord.

vomitum vomere: pulmoneum Pl. Rud. 511.

votum vovere: quae Pl. Amph. 947.

Ex Vulgata haec proferimus exempla:

indumentum induere Ies. 61, 10; unguentum unguere Io. 11, 2 (cf. Rönsch Ital. u. Vulg. p. 437); act. apost. 2, 17 somnia somniare; 13, 41 operari opus; 1, 17 sortem sortiri; Timoth. 2, 4, 7 bonum certamen certavi; Ioann. Apocal. 5, 9 canticum cantare, alia permulta; quibus addimus ex Christianis scriptoribus locum illum Ierem. 4, 3 ‚Pflüget ein Neues‘ (Luther) sic Latine conversum a Cyprian. testim. I, 8 p. 45 Hartel: ‚*renovate* inter vos *novitatem*‘ et a Tertull. adv. Marc.

4, 11 ,*novate* nobis *novamen novum*'. Denique adscribere placuit locum ex vita Adae et Evae nuperrime edita a Gulielmo Meyer (1879): ,*poenitentiam poenitere* magnam', qui locus nobis argumento est figuram etymologicam in Latinitate Christiana non oblitteratam, immo ad Christianas proprie notiones exprimendas accommodatam esse, id quod etiam ad alia figurae etymologicae genera pertinere infra pluribus locis demonstrabimus.

Iam permutationis quaedam exempla proponamus: *aetatem vivere:* Pl. Amph. 4, 2, 3, Ovid. Met. 12, 188; vitalem aevum vivere Pl. Poen. 5, 4, 25, Cic. Cat. m. § 31 Nestor tertiam aetatem hominum vivebat (alii: videbat); cf. Iuvenal. 12, 128 vivere Nestora = Nestoris vitam; *bella pugnare*: Hor. carm. 3, 19, 4, epist. 1, 16, 25, Catull. 37, 13 (his tribus locis ut in formula ,pugnam pugnare' structura passiva est); de permutatione ,proelium pugnare' iam supra p. 21 diximus; *bella vincere:* longinqua Iustin. 41, 1; docta *dicta loqui* Pl. Trin. 380; *epulas cenitare* Apul. Met. 9, 592, *errorem insanire:* similem Hor. sat. 2, 3, 63. cf. *μαίνεσθαι πλάνην φρενῶν; somnum quiescere:* humanum Apul. Met. 9. 752, 2 H., *viam ire:* longam Verg. Aen. 4, 467; ite viam, redite viam in formula ap. Cic. p. Mur. § 26.

Atque ex hac exemplorum copia longe maximam partem sermoni poetarum ac praecipue Plautino attribuendam esse neminem fugiet. Solutae orationis scriptores ex hoc thesauro, ut in aliis figurae etymologicae generibus, certas quasdam formulas asciverunt, quae tamen latissime patent in omnibus eorum scriptis, ut: ,bellum bellare, facinus facere, pacem pacisci, pugnam pugnare, sectam sequi, victoriam vincere, vitam vivere'. Nec vero acquiescebant argenteae Latinitatis scriptores in hoc pervulgato exemplorum delectu, sed ipsi nova procreaverunt, ante omnes Apuleius; cf. ,cogitationes cogitare, curriculum currere, spectamen adspicere, spiritus spirare, sudorem desudare'. Christianorum denique Latinitas et ipsa notiones vere Christianas figurae etymologicae — ut ipse etymologice loquar — ornatu exornare in deliciis habebat; cf. ,novamen novare, poenitentiam poenitere'.

Iam hanc figuram in Latinitate mediae, quae dicitur aetatis, persequentibus, formulae occurrunt, veluti: iussionem iubere, certamen certare, *caballum cavallicare* (in lege

Salica), unde in linguas Romanicas transiit: It. cavalcare un cavallo, hispan. cabalgar un caballo, prov. cabalcar un cavall, frg. prisc. chevalchier un cheval, wal. celeri un cal. — frg. prisc. tourner un tour; it. vivir una vita tranquilla, hispan. vivir vida lazdrada, lusit. viver vida folgada, similia quae permulta citat Diezius l. l. III p. 117, quo loco id adnotat poetas inprimis hac figura uti. Permutationis exemplum est: it. vincer la punga, hispan. vencer la lid, la batalla, prov. venser batalhas, frg. prisc. vencre la bataille; cf. bellum vincere Iustin.

Denique usum huius figurae in lingua Germanica breviter perstringemus, in qua et ipsa poetae potissimum hanc figuram usurpant (cf. Grimm l. l. IV p. 645) [1]: goth. usbanth hunth ᾐχμαλώτευσεν αἰχμαλωσίαν Ephes. 4, 8; prisc. l. German. (= ahd.) sang was gisungan [2], sumâ hapt heptidun [3]; med. l. Germ. (= mhd.) strît strîten, spil spiln, sprunc springen, vant hôhen funt. Denique de hoc usu in lingua Germanica, qualem nostra aetate loquimur, adnotavit quaedam Papst in Jahnii annal. philol. 1841 p. 77 sq. Poetarum inprimis Klopstockium hanc figuram adamasse inter omnes constat, qui quidem, ut Plautus, haud paucas eiusmodi figuras admiserit, ubi nullum attributum ad substantivum accedat.

B.

De ablativo etymologico.

§ 6.

Accusativus etymologicus ut consonorum congenerumque verborum et substantivorum copulatione magis ad aures atque sensum accommodatus est quam ad rationem, qua ex re longe maxima id genus formularum pars inprimisque quae

---

1) Usus obiecti interni in omnibus, quae ad indo-germanicam familiam pertinent, linguis occurrit; cf. Miklosich Vergleichende Gramm. d. slavischen Sprachen vol. IV. p 3×5 sqq.

2) Ludwigslied 95 cf. Girschner ‚Das Ludwigslied, das Hildebrandslied und die beiden Merseburger Zaubersprüche' Programm. Colberg. 1879 p. 12.

3) I. Merseburger Zauberspruch; cf. Girschner l. l. p. 21.

attributo carent sermoni poetarum propriae sunt, ita in ablativi etymologici exemplis logica quaedam et quasi interior necessitudo intercedit inter verbum et substantivum, quae ablativo vel instrumentali vel causali vel modali dilucide indicatur atque exprimitur. Ac recte mihi is iudicare videtur, qui in his ablativo effectis structuris rationem arte logica excultam profecisse et in locum antiquiorum illarum abundantiaque quadam praeditarum obiecti interni formularum veluti ‚censum censere, messem metere' structuras ablativo effectas successisse existimet. Nam ex hoc ipso, quod, quas obiecti interni formulas enumeravimus, earum haud modica pars per ablativum quoque expressae apparent, certamen quoddam inter has duas figuras etymologicas aliquando exarsisse *) coniecturam facias, ex quo illa per accusativum facta inprimis in sermone poetarum, haec per ablativum facta structura in soluta potissimum oratione vigebat valebatque. Itaque in inscriptionibus invenimus ‚nomen nominare', apud Ennium trag. 208 ‚nomine nominare'; ‚certamen cernere' dixit Plautus, ‚certare pio certamine' Liv. 37, 54, 19, ‚honestissimo certamine' Plin. ep. 7, 7, 1; ‚preces precari' Cato, ‚precibus p. coniunctis' Fronto, permutatione adhibita Cicero et Caesar dicunt ‚omnibus precibus petere'; cf. dona donare, donis d., alia; qua in re concedendum est apud poetas non parum saepe utrumque dicendi genus exstare, ut ‚ludum (ludo) ludere, carmen (carmine) canere' etc.

Iam ad ipsum ablativum etymologicum transgressuri primum ablativi modalis formulas tractabimus satis dignas, de quibus singillatim dicatur.

§ 7. De ablativo etymologico modali.

Ea figurae etymologicae vis, de qua compluribus locis supra disseruimus, in ablativo etymologico modali evidenter apparet, qui quidem adverbii instar notionem verborum congenerum intendit atque amplificat, velut in formulis: ‚curriculo currere, memoria meminisse, luce lucebit' apud Plautum; ‚occidione occidere' et ‚voce vocare' apud optimos scriptores:

---

*) Cf. sanguinem pluere (= pluviam sanguinis pl.) et sanguine pl.; Cic. divin. 2, 27, 58; picem olere (= odorem picis ol.) et pice, similia. [W.]

quarum formularum una solutae tantum orationi (occidione occ.), reliquae sermoni poetarum propriae sunt excepta locutione ‚vocibus vocare', quae uno loco apud Iustinum exstat.

curriculo currere: Pl. Most. 349; transcurre c. Mil. 523; percurre Ter. Haut. 733; cf. cursim currere § 22. Permutatio est: curriculo volare Pl. Pers. 199; cf. curriculo ire Rud. 798. 855; c. venire Most. 917.

luce lucebit: Pl. Curc. 1, 3, 26 = (di)lucide lucet.

memoria meminisse: Pl. Capt. 390; cf. memoriter meminisse § 22.

occidione occidere: Cic. Phil. 14, 36 copias; ep. fam. 15, 4, 7 equitatum; Liv. 2, 51, 9; 3, 10, 11; 4, 58, 9; 9, 38, 3, ib. 44, 12; 10, 39, 13; 22, 54, 7; 28, 43, 10; 30, 32, 6; Iustin. 2, 14; 26, 2; 28, 2; Gell. 5, 17, 2. Apud Tacitum nunc pro ‚occidione occubuisse', id quod Rhenanus coniecit scriptum est ‚obsidione': annal. 12, 38.

voce vocare: Verg. Aen. 4, 680; 6, 247. 506; 10, 873; 12, 483. 638; Tibull. 2, 1, 83 (Dissen adnotat ‚voce v. est: palam v., non tacite et tecte, sed quod vulgo dicunt clara voce'); Iustin. 38, 7, 8 *vocibus* v.; Ovid. ep. 10, 34 *summa* v. v.

Eiusmodi formulae etiam in lingua Graeca suppeditant[1]). Cf. Lobeck l. l. p. 524, qui ex Plat. symp. p. 195 B et Aristid. or. Plat. II, 153 (adde: Plat. Epinomis 974 B., Lucian. adv. indoctum § 16) affert *φυγῇ φεύγειν* = omni contentione fugere. Sed in lingua Latina ablativus modalis vim amplificationis haud retinuit; cf. Cat. fragm. p. 45 Iord. ‚fugit *maxima* fugela' et Apul. apol. 627, 98 H. — ex imitatione Catonis — ‚*magna* fugela fugit'.

Memorabile est in Vulgata haud raro inveniri eiusmodi formulas; quae etsi plerumque ex Graeco exemplari translatae sunt, ex aliis tamen Latinitatis Christianae exemplis demonstrare possumus hanc amplificationis vim in quibusdam sermonis vulgaris locutionibus conservatam esse.

act. apost. 23, 14 *devotione devovimus* = *ἀναθέ-*

1) Hanc vim etiam debilitata figurae etymologicae species, permutationem dico, retinuit. Cf. quas ex Sophocle excerpsimus formulas: *φόβῳ, ὄκνῳ δείσαντες* Phil. 225, Oed. Col. 1625; *φόβῳ ταρβοῦσαν* Trach. 176; *γόοισιν ἐξῴμωξεν* Antig. 427. Sic iam ap. Hom. Il. 7, 95 *νείκει ὀνειδίζων*.

ματι ἀνεθεματίσαμεν (Luther: wir haben uns hart verbannt); ev. Johann. 3, 29 *gaudio gaudet* = *χαρᾷ χαίρει* (Luther: er freut sich hoch). Cf. chron. Andreae Bergam. 1 gavisi sunt gaudio, sed ibid. 4 *magno* gaudio gavisi sunt; similiter apud incertum auctorem de Constantino Magno eiusque matre Helena (ed. Heydenreich, Lips. 1879) cap. 26 ,gavisi fuerunt gaudio *magno* valde'; ibid. c. 8 et 16 ,plangere planctu *magno*'. Eadem vis et in Vulgata et apud scriptores Christianos in ablativo gerundii inest, ut ,praecipiendo praecepimus' act. 5, 28 = *παραγγελίᾳ παρηγγείλαμεν* (Luther: mit Ernst gebieten), qua de re plura vid. § 19 c.

Denique commemoranda formula quaedam solemnis Christianae Latinitatis *vita vivens* (de deo dicta) = ewig lebend in poesi Geraldi de Gualtario v. 4 (saec. X) [2]) et in vita Adae et Evae cp. 28.

Accedit autem saepius adiectivum quoddam ut in formula ,fuga fugere': *magna*, *maxima*, saepe *omni*, *omnibus*, velut apud Isid. ep. I (ap. Lindemann corp. grammat. Lat. tom. III p. 5): ,omni desiderio desiderare', quacum formula conferas Front. p. 117 N. ,desiderantius desiderare'; apud Caecilium com. 252 R. ,omnibus laetitiis laetus', quocum conferas ,laete laetus, gaudio gaudet'.

§ 8. De ceteris ablativi etymologici generibus.

In ceteris ablativi generibus, qui est plerumque instrumentalis [1]), cum haec vis auctae quamvis nullo addito attributo notionis plane infracta sit, epithetis opus est, ut ,omni, omnibus, maximis, summis'. Cf. *magnis* auctibus augere, *maximis* laudibus laudare, *plurumis* donis donare. Iam si ad hanc quasi attenuatam formam permutatio accedit, pristinum illud et quasi robustum genus dicendi plane evertitur: id quod perspicuum fit ex formula, qua Cicero et Caesar multis locis utuntur, ,*omnibus precibus petere (orare)*'

---

2) Carmen Waltharii edit. a V. Scheffel et A. Holder 1874.

1) ,De ablativi locativi instrumentalis apud priscos scriptores Latinos usu' scripsit nuperrime G. Ebrard in supplementis annal. philol. vol. X (1879) p. 577—657. Quae ad nostram rem spectant exempla collecta sunt p. 629. 630, sed desunt nonnulla, ut cura curare, maculis maculare.

vel ex altera: ‚*omni festinatione properare*' Cic. fam. 12, 25, 3. Veterem locutionem unus, quod sciam, retinuit Fronto addito tamen attributo p. 95 N. ‚precibus coniunctis precari', in aliis quoque priscae latinitatis sectator, ut in illo ‚magnis auctibus augere' cf. infra.

precibus orare (inständig bitten) auct. bell. Afric. 91, 3; te oro per precem Pl. Capt. 241; *omnibus precibus orare* Cic. ad Attic. 9, 11 A, 3; Caes. b. G. 7, 78, 4; *omnibus precibus petere* Caes. b. G. 5, 6, 3; 7, 26, 3; Hor. ep. 1, 13, 18 *oratus multa prece* [2]); *multis* Liv. 2, 2, 8; *infimis petere* 8, 2, 9.

Ceterum animadvertendum est scriptores elegantiores, quod idem in obiecto interno factum esse modo vidimus, ex iustis gravibusque ablativi etymologici formulis ut usitatiores tantum admiserint velut ‚occidione occidere', ita rariores insolentioresque permutationis ope infirmavisse.

Animo animatus: hoc Pl. Men. 1, 3, 20.

armis armatus: vestris Cic. leg. agr. II § 101.

auctibus augere: bonis Liv. 29, 27, 3 in precatione illa, de qua p. 2 disputavimus, sed altero loco 4, 2, 2 permutatione utitur: ‚maximis auctibus crescere'. — *magnis* auctibus augere Front. p. 226 N., quae formula legitur etiam apud Pseudosallust. ad Caes. de rep. I, 7; qui si ex sententia Iordani suppar est aetati Frontonis (Hermes I. 232. Acta I p. 343), illius opinio hac perrara formula non nihil confirmatur.

augmine augere: vel grandi vel parvo: Lucret. 1, 435; idem permutatione utitur 2, 1122 hilaro grandescere adauctu.

audacia audere: qua Ter. Eun. 958; Andr. 613: codices praebent ‚fiducia' ut Pl. Epid. 5, 2, 31.

Tibull. 1, 10, 43 ‚liceatque caput *candescere canis*' *candescere* suo iure nunc legitur pro *canescere*, quod uno codice idque satis incerte exhibetur; cf. Propert. 3, 18, 5 quid si iam *canis* aetas mea *candeat* annis?

cantu canere: Front. p. 202 N.; Sen. Herc. Oet. 130 *flebili*.

---

2) Elucet ex exemplis modo prolatis hoc loco (or. m. pr. nitere porro) ‚oratus' non idem esse quod ‚rogatus, interrogatus', ab hominibus scilicet obviam venientibus et ex Vinio quaerentibus, quid adferat, quomodo interpretatur cum Orellio ac Dillenburgero Krueger, sed participium referendum esse ad Horatium (a me oratus).

carmine cantare: Maeonio Martial. 14, 183.

casu cecidit spes: Afran. com. 350 R.

cautione cavere: cautio, in qua caverat C. I. L. III. p. 924.

censu censere: aequo Pl. Trin. 493.

certamine cernere: aequo certamine bellum cernere certant Lucret. 5, 393; *pio* Liv. 37, 54, 19; *honestissimo* Plin. ep. 7, 7, 1; cf. certamen cernere p. 16.

cincticulo praecinctus: Pl. Bacch. 432.

condimentis condire: Pl. Pseud. 820 non c. condiunt, sed strigibus.

confessione fateri: fideli Victor Vit. 2, 56.

corona coronatus: laurea Liv. 23, 11, 5.

cura curare: magna Pl. Men. 897 (Pers. 527 sine attributo); magna cum cura curantes Enn. ann. 80 V.

desiderio desiderare: omni Isidor. ep. I cf. p. 27.

dolore dolere: nostro Verg. Aen. 1, 669.

donare dono: hoc Pl. Stich. 656, *plurumis* Amph. prol. 137; *pulchro* Nov. com. 57 R.; *militari* Liv. 24, 16, 18; 25, 7, 4, ib. 18, 15. Permutatione: *munere donare* utuntur Cic. har. resp. § 6; Corn. Nep. Them. 10, 2, Con. 4, 2; Vitruv. 6, 1.

edicto edicere: quo Liv. 2, 24, 6; 35, 24, 3; 43, 16, 2; Gell. 13, 15, 1 in edicto, quo . . . edicunt.

exorabulis exorare: Pl. Truc. 1, 1, 6.

falsimoniis falsi: Pl. Bacch. 541.

flumine fluere: tenui Sen. Herc. Oet. 140 (cod. A. fugit).

frigore frigescere: nonnihil Cael. ap. Cic. ep. fam. 8, 6, 4 (cod. Med.; alii legunt: rigescere; cf. Wesenberg emendatt. 1840 p. 102, ut Lucil. 554 L. *frigore obrigescere.*)

gaudio gaudere: hoc Pl. Pers. 5, 1, 24; *quocunque* Augustin. conf. 10, 21, 31: *magno* Andr. Bergam. 4, cf. p. 20 et 27; permutatam formulam legimus ap. Apul. Met. 11, 1054, 18 H. repentino laetati gaudio; plura exempla Apul. vid. ap. Koziol Stil. d. Apul. p. 115 sq.

gemitu gemere: meo Sen. Thyest. 1001.

gradu grassari: istoc Pl. Poen. 505; *gradu gradi:* securo Apul. D. Pl. 2, 248.

haustu perhaurire: uno Apul. Met. 10, 916, 16 H.

honore honestare: secus Pl. Capt. 247, ibid. 353 *tanto;* Sall. Cat. 35, 4 non dignos homines honore honestatos videbam.

honoribus honorare: divinis Vell. Pat. 2, 124, 3.

ictu ici: Lucret. 4, 1042.

inasserato asseribus: abiegnis lex. par. fac. C. I. L. I. 577.

incendio incendere: Pl. Trin. 675 (alii aliter legunt); cf. Brix ad h. l.

indumenta, quibus indutus Apul. Flor. 1, 32.

iratus iracundia: non mediocri Pl. Curc. 533.

itinere ire: nostris Cic. Qu. fratr. 3, 3, 4; *eodem* Liv. 4, 4, 11.

iugo iungere: Pacuv. trag. 397 R.; Lucil. 967 L.

iure iudicare: Pl. Cas. 2, 6, 23.

laetitia laetari: amicorum Cic. fin. 1 § 67.

laudibus laudare: quantis Pl. Capt. 417. 419; *maximis* Cat. fragm. 33 Iord.; *veris* et *propriis* Cic. leg. 3 § 2, sed p. Cluent. § 140 permutatione utitur: summis laudibus *ornare.*

luce inlucescere: clara et candida Pl. Amph. 547; luce lucebat aliena Cic. rep. 6 § 16.

luminibus illuminare: his Cic. or. c. 25; *lumine lustrare* Lucret. 5, 1435.

ludo ludere: tuo Pl. Pseud. 22; *tali* Most. 1143 cf. ludum ludere p. 20.

maculis maculare: luridis Pl. Capt. 595.

mixtione miscere: Augustin. conf. 13, 20, 27.

momine moveri: parvo Lucret. 3, 188.

moribus moratus: condigne Pl. Capt. 107; *istoc* Asin. 506; *quibus* Stich. 1, 2, 48; Ter. Hec. 644; *ibus* (= his) Titin. com. 59 R.

morte mori: ne *simplici* quidem Sall. hist. 3, 25 D. cf. Aurel. Victor epit. Caes. 40, 8 morte simplici periit; Senec. ep. 69 *sua* morte mori; cf. Homer. Od. 11, 410 *ὣς θάνον οἰκτίστῳ θανάτῳ*. Permutationis exempla sunt: Cic. Cluent. 173 repentina morte periit; Suet. Aug. 4, 1 morte repentina obiit.

multa multare: maiore Pl. Rud. prol. 20; permutatio est ap. Catull. 64, 192 ‚multare vindice poena‘ [3]).

munere remunerari: simillimo Cic. fam. 9, 8, 1.

nomine nominare: Enn. trag. 208 R.; n. nuncupare: *insueto* Pacuv. trag. 239 R.; *uno* Cat. fragm. p. 4 Iord.

---

3) Nos quoque dicimus: ‚mit einer Strafe bestrafen‘ et alia huiusmodi ut Schiller in carmine, quod inscribitur ‚Resignation‘: mit gleicher Liebe lieb’ ich meine Kinder.

nota notare: ignavi militis Liv. 24, 16, 11.

odio odisse: Vatiniano Catull. 14, 3; *quo* Cic. p. Mil. § 35; plus quam *paterno* Liv. 2, 58, 5.

ornamentis ornare: Cic. prov. cons. 41; cum *omnibus* o. exornatus Pl. Pseud. 735; *omnibus* o. exornare Vitruv. 10, 22, 8.

ornatu ornatus: hoc Pl. Rud. 187, Mil. 1177; *alieno* Cic. de or. 1 § 55.

partu parere: postremo inc. trag. fragm. 82 R.; *uno* Pl. Amph. 1138, Sen. Phoen. 136.

pervince pertinaci *pervicacia:* inc. auct. ap. Front. p. 61 N.

piamentis expiare: lustralibus Apul. met. 3, 175.

planctu plangere: magno cf. p. 27.

pondere pendere: suo Cic. Verr. IV § 1.

precibus precari: coniunctis Front. p. 95 N.; *iugiter* in poesi Geraldi de Gualtario v. 13; permutatio: precibus *orare* Enn. annal. 20 V.; hac prece te oro Hor. sat. 2, 6, 13; *adoravi* hac prece Ovid. Trist. 1, 3, 41; de formulis ‚omnibus precibus petere, orare' vid. p. 28.

responso respondere: superbo Iustin. 37, 4, 5.

risu ridere: Iovis Enn. annal. 446 V.

sanctione sancitum est: in plebiscito de Termessibus a. u. c. 682 C. I. L. I. 114 n. 204.

signis significare: Front. p. 137 N.

solacio consolari: malo Cic. ad Attic. 4, 6, 1, *illo* Lael. § 10.

sopore sopiti: longo Paul. Diac. gest. Lang. I c. 4.

statu stare: eodem Liv. 21, 62, 10; 30, 2, 8.

tecto tegi: eo Tac. dial. 22; *circumtectus tegetibus* Naev. com. 101 R.; *tegmine tegere:* ingenti Sen. Herc. fur. 802.

tonitribus tonescere: Varr. sat. Men. 56 B.

triumpho triumphare: insigni Liv. 10, 46, 2; ex permixta permutatione formularum ‚triumphare triumpho' et ‚gaudio gaudere' orta est tertia Ciceroniana: *triumphare gaudio* p. Mur. § 51, p. Cluent. § 14, ad Attic. 9, 16, 2.

unguentis unguere: ex censoriis tabulis ap. Varr. l. l. 6 § 86; Pl. Most. 272, Truc. 2, 2, 34, Cic. Verr. 4 § 77; unguentis unctitare Pl. Most. 274; *unguine unguere* Cat. r. r. 135.

usura usurpare: Pl. Pseud. 135 (cf. Lorenz ad h. l.).

vadimoniis convadari: Veneriis = Zu einem Termin d. h. Stelldichein mit der Venus bestellen Pl. Curc. 162.

vehiculo vehi: Varr. sat. 188 B.

veste vestitus: uvida Pl. Rud. 265; *lugubri* Ter. Haut. 286; *regia* act. apost. 12, 21 = *ἐνδυσάμενος ἐσθῆτα βασιλικήν*. Ioh. Apocal. 3, 5 vestimentis vestire albis.

victibus vivere: facetis Pl. Most. 45.

vinculo vincire: Pl. Men. 93; quam (Italiam) *omnibus* vinclis devinctam teneretis Cic. leg. agrar. I § 16; vinculis v. Front. p. 152 N. Apud Tibull. 1, 1, 55 antiquiores codices ‚vinculis *vinctum*', minores (Itali) *victum* praebent, id quod Luc. Mueller et Baehrens receperunt.

vita vivere: insociabili Apul. D. Pl. 2, 237, 16 H. cf. *ζῆν ἀλυπήτῳ βίῳ* Soph. Trach. 168; de formula vita vivens vid. p. 27.

voce vocare: blanda Enn. ann. 51 V.; *plena* Verg. Georg 1, 388; *parientis* Ovid. Met. 10, 507; *solemni* Sen. Oed. 304; de formula voce v. sine attributo vid. p. 26. Permutationes sunt: multis vocibus *memorare* Att. trag. 185 R.; *appellare* humana voce Pl. Bacch. 1141.

vocatu vocare: uno lex Malacitan. ap. Bruns font. iur. Rom. ² p. 99.

voto vovere: hoc C. I. L. I. 1175.

Harum formularum multo maxima pars attributo aliquo exornata est; quo ne adiecto quidem hoc genus ut accusativus etymologicus ullam pleonasmi speciem prae se fert, quia ipso ablativo certa et logica necessitudo intercedit inter substantivum et verbum, veluti in formulis: ‚cincticulo praecinctus (= mit einem Gürtel umgürtet), falsimoniis falsi ‚incendio incendere', ceterum nonnullis locis substantivum angustiore significatione praeditum est, ut attributum aliquod haud necessarium sit; cf. victibus (= Gerichte) vivere'.

Postremo subiungere iuvat figuras quasdam pseudetymologicas, de quibus cf. p. 9. 16. *verbis verberare:* Pl. Truc. 1, 2, 19 [4]); *ferro ferire* Pl. Amph. 232; *auribus per(h)aurire* Pl. Mil. 1, 1, 34; *defungi fungis* (= an Schwämmen sterben) Martial. epigr. supposit. XVII (edit. maioris Schneidewin. 1842).

---

4) Paronomasiam vocabulis *verba* et *verbera* factam invenimus Pl. Men. 980, Ter. Haut. 356.

C.

§ 9. De nominativo, dativo, locativo etymologico.

Nominativi:

potestas potest: Pl. Casin. 2, 4, 4; *tintinnabulum tinnit:* Trin. 1004; *eventus evenit* Pl. Rud. 2, 1, 11; inc. auct. de Constantino et Helena c. 15 ‚si inopinatus *eventus eveniret*'; passive: *beneficium benefit* Pl. Capt. 2, 2, 108, *moventur motus* Lucret. 3, 508 (Lambinus adnotat Lucretium Aristotelem de anim. cap. 3 imitatum esse: *τὴν κίνησιν τὸ σῶμα κινεῖται*).

Dativi:

an libertinis atque etiam *servis serviamus?* Cic. ad Attic. 2, 1, 8 (cf. Martial. 2, 32, 7 non bene servo servitur amico); si eius *fidei diffisus* essem Cic. Verr. act. I § 31; haesitabam *mori morti* et *vitae vivere* Augustin. conf. 8, 11, 25.

Locativi:

ruri rurare = rusticare Pl. Capt. 82.

Adiungimus pseudetymologicam figuram ‚*domi domitus* sum' Pl. Men. 105 (‚daheim bin ich eingeheimst' Brix) et iocose dictam: ‚*dentes dentiunt*' Pl. Mil. 1, 1, 34.

§ 10. Appendix.

In hac appendice proferam adiectiva quaedam et simplicia et composita ab eadem originatione ac nomina, quibuscum casu diverso conexa sunt.

Genetivi: *expers partis* Ter. Haut. 652 = *ἄμοιρος μέρους;* cf. Lobeck l. l. p. 537, et *ἄφιλος φίλων* Eur. Hel. 524.

Dativi: *morigera meis moribus* Pl. Men. 203.

Ablativi: *mea laetitia laetus* Pl. Pseud. 1062, Merc. 844; omnibus *laetitiis laetus* Caecil. com. 252 R. (permutatio est Catull. 64, 221 gaudens laetanti pectore); de Graecis exemplis ‚*κακὸς πᾶσαν κακίαν*' similibus cf. Lobeck. l. l. p. 530; *negotiosus negotiis*: nostris Pl. Merc. 191; alter uno *vitio* minus *vitiosus* Cic. ad Attic. 1, 14, 6.

Negativae et quasi figurae oxymori specie praeditae formulae sunt: *exlex legibus* Lucil. 860 L.; *impietate pius* Ovid. Met. 8, 477, Dracont. 5, 257 (ex imitatione Ovidii!): *numero innumerabiles* Cic. p. Sest. § 97. Cf. § 19 d) fin.

Permutationis denique exempla propono haec: omni diritate atque immanitate *taeterrimus* Cic. Vatin. § 9; omni *dedecore* infames p. Cluent. § 130. Cf. Lobeck. l. l. p. 528, et *ἀπήμων οἰζύος* Aesch. Eum. 893; *ἀνήνεμος χειμώνων* Soph. Oed. Col. 677; *ἄπαις τέκνων* Eurip. Suppl. 13 *).

D.

§ 11. De copulationibus id genus per praepositiones factis.

Bene *condire de bonis condimentis*: testam. porcelli apud Buechelerum in Petron. sat. edit. min. ² p. 232. *Ex aedibus exaedificare:* Pl. Trin. 1128; de hoc similibusque iocose dictis vid. p. 9.

In aevum aeternare Hor. carm. 4, 14, 3; ‚*in latebras se inlatebrare*' citat Nonius p. 129, 22 ex Coelii annal. lib. I, sed videtur id Gellio 17, 2, 3 debere, qui ex Claudio Quadrigario similem formulam ‚se inlatebrare' affert. Cf. Peter fragm. hist. Rom. p. 216; *in vulgum vulgare* Varr. sat. Men. 359 B. *Quid in consilio consuluistis?* Pl. Bacch. 41; *in* illa . . . *sedecula* . . *sedere* Cic. ad Attic. 4, 10, 1; ‚*in statu stare*' formula sermoni gladiatorum propria est, ubi ‚status' vim habet nostri vocabuli ‚Fechterstellung' Pl. Mil. 1389 (cf. Brix ad h. l.); ‚qui est *negotiosus in negotiis*' Enn. trag. 184 ex Ribbeckii coniectura (Vahlen.: cui est negotium in negotio).

Ire per iter tenebricosum Catull. 3, 11; ‚*per vim violare*' in fragm. quodam poet. inc. ap. Cic. fam. 9, 22, 1.

Caput II.

De copulationibus etymologicis duorum nominum et verborum.

1. De substantivis (adiectivis) diversis casibus inter se conexis.

§ 12. De substantivis.

Substantivorum eiusdem stirpis per figuram etymologicam coniunctorum duo sunt genera. Ac prioris quidem exemplum

---

*) Hanc figuram tragicorum graecorum unus Euripides adhibuit Hel. 524 *ἄφιλος φίλων*, Herc. fur. 114 *πάτρος ἀπάτορα*, Andr. 613

est *virium vi* apud Liv. 9, 16, 3 (cf. Weissenborn ad h. l.); cuius generis novae quaedam species exsistunt, cum aut duo substantiva ab eodem etymo diversa ratione derivantur velut *duelli duellatores* Pl. Capt. prol. 68, aut alterum vocabulorum quavis ratione componitur velut *effugium fugae* Lucret. 1, 983 (= fugae ratio Catull. 64, 186). Posteriori generi illas formulas adscribo, in quibus alterum vocabulorum sive ex derivatione sive ex compositione novam significationem ducit, quales sunt: *moles molestiarum* Cic. de orat. I § 2 vel ibid. leg. agrar. II § 10 extremi *exitiorum exitus* = die letzten Stadien des Untergangs, = *exitus exitiales*, ut ipse Cicero de eadem re dicit Verr. 5 § 12; Graeca exempla sunt *νηνεμία ἀνέμων* poet. ap. Plat. symp. p. 197 C., *νόμων νομοφύλακες* Plat. leg. 2, 671 D.); plura ap. Lobeck. l. l. p. 537. Negativam vim et quasi oxymori speciem prae se fert locutio: *dehonestamentum honorum* ap. Sall. hist. fragm. 1, 45, 21 Kr. ‚Fufidius, ancilla turpis, honorum *omnium* dehonestamentum'; quem locum imitatus est Ammian. Marcell. 21, 6, 16 ‚ad hoc igitur dehonestamentum honorum omnium ludibriose sublatus et ancillari adulatione' etc. et Trebell. Poll. vit. Claud. c. 5 ‚Gallus Antipater, ancilla honorum et historicorum dehonestamentum'; altera similis formula est *immunitas munerum* Cic. Acad. 2 § 121.

Itaque in his formulis alterum substantivum ex altero casu genetivo pendet, velut in nostra lingua dicimus ‚Kindeskind, Zinseszins', cum in voce nostra ‚Helfershelfer' nullam iam genetivi vim inesse cognoscas, quae idem valet ac simplex vocabulum ‚Helfer'. Longe alia autem vis est in alia substantivorum cum suis genetivis copulatione, velut cum dicimus ‚der Stern der Sterne', vel in carmine illo celebratissimo ‚Stimmt an das Lied der Lieder', quae locutio appositione ‚des Vaterlandes Hochgesang' illustratur, vel in Tillio, qui vocatur Eulenspiegel ‚den Schalk der Schälke' = Erzschalk. Quibus in formulis apparet per genetivum substantivi unam eamque amplificatam notionem extitisse. Quam

---

παίδων ἄπαιδας; Aeschylus enim et Sophocles utuntur permutatione, Plato, Andocides, Isaeus attributa addunt. Cf. Ioa Schmidt, de epithetis compositis in tragoedia graeca usurpatis, Berol. 1865, pg. 39. [W.]

augendae notionis rationem iam in antiquissimo litterarum monumento, quod inscribitur Edda, adhibitam esse Grimmius testatur l. l. p. 726, maximeque in enuntiatis interrogativis, ut ‚hvat er that hlym hlymja' (sonus sonorum) Saem. 75[a]. Idemque ex antiquiore nostrae linguae forma exempla affert, in quibus genetivus singularis tali modo usurpatur, ut ‚des Kernes Kern', quorum recentioris generis dicendi formulas conferas: ‚das ergriff mich in meines Herzens Herzen' = in meinem innersten Herzen vel ‚wir sind am Ende des Endes'. Iam eandem figurae etymologicae vim habemus in lingua Latina, sed et in optimorum et in posteriorum scriptorum sermone solum per genetivum pluralis perfectam *) ut in formulis: *rex regum*, *dux ducum*, cum scriptorum Christianorum et Vulgatae Latinitas genetivo singularis quoque utatur, velut in illa voce: *in saeculum saeculi* ≙ in alle Ewigkeit. Atque hoc dicendi genus (rex regum) pressius est pro pleniore, quod suppeditat Sen. Troad. 988 ‚regum maximus rector' vel Horat. sat. 1, 3, 136 ‚magnorum maxime regum', quorum ex locorum similitudine elucet genetivum esse partitivum.

Sed priusquam ad ipsam rem transeamus, excusandi causa monemus hoc genus etymologicum quamquam proprie ad tertium caput nostrae dissertationis pertinet, tamen quia singulae eius partes copiosius tractandae sunt, commodius visum esse hoc loco separatim ac pleniore stilo illustrare, ne longiore disputatione singulorum gradationis generum cognatio obscuraretur; ita in proximo capite brevi commemoratione illud universo generi inseruisse sufficiet.

Quam haud uno loco insignem atque naturalem figurae etymologicae exposuimus esse vim illam amplificationis, ea summe dilucide comparet in hoc genere dicendi. Quare miramur, quod Lobeckius nullo loco eius mentionem fecit, quamquam huiusmodi formulae per omnes linguae Graecae aetates inveniuntur — immo homo doctissimus Spanhemius in dissertatione sua de praestantia et usu numism. VIII p. 464 sq. hac de re quidquid ex titulis redibat, satis copiose collegerat. Cuius viri copiis partim usus Hauptius eandem rem re-

---

*) Uno loco genetivum singularis deprehendi in Pseudoapul. Asclep. 334, 41 H. *vitae vera vita*. Cf. pg. 41.

tractavit (opusc. II 1876 p. 155), ita tamen, ut non desint, quae ex nostris collectaneis, inprimis quae ad Christianam Latinitatem pertinent, addi possint.

Igitur iam in antiquissima apud Varr. l. l. 7, 27 glossa ex carmine saliari repetita exstat formula *divum deus*, quo nomine non (ut Iordan Krit. Beitr. p. 222 contendit) Mars significatur, sed Ianus, id quod intellegi potest ex testimoniis ap. Macrob. Sat. 1, 9, 14 ,Saliorum quoque antiquissimis carminibus *deorum deus* canitur' (Ianus); ib. 1, 9, 16 patrem (invocamus) quasi *deorum deum*. Ceterum cf. permutationem 'rex deorum' de Iove dictam ap. Hor. carm. 3, 4 = *θεῶν βασιλεὺς ὁ μέγας* apud Pindarum Olymp. 7, 34 (ut *θεὸς θεῶν* apud Platonem). Tum ex Plauto adnotavimus Curc. 388 *reliquiarum reliquiae* = die letzten Ueberreste; Trin. 309 *victor victorum*; Capt. 825 *rex regum* regalior.

Quae formula *rex regum* et in politico et in rituali et in philosophorum sermone usque ad nostram fere aetatem tanti ponderis fuit, ut curriculum gradusque eius hoc loco persequi non alienum videatur. Cf. Du Cange, gloss. med. lat. s. v.

Ac primum quidem in politico sermone quam vim habuerit, ex hoc cognoscitur, quod et in oriente et in occidente nationes regem insigni nomine ,regem regum' appellaverunt. Ipsum nomen autem ab orientis populis profectum videtur esse, quippe quibus mos fuerit, ut victor rex reges devictos non, quod hodie fit, regno privaverit, sed ut tamquam reguli suae ditioni subiecti proprium regnum administrarent permiserit.

Et de hac denominatione apud Persas usitata Keiperus iam in act. I p. 195. 96 haec disseruit: ,die altpersische Bezeichnung für den ,Grosskönig' ist ,khsaŷathiya vazraka' = rex magnus, *μέγας βασιλεύς* (Aeschyl. Pers. v. 24). Ein anderer der Sache nach ziemlich gleichbedeutender Titel der Keilinschriften ist ,khsaŷathiya ksaŷathiyâmâm = *βασιλεὺς βασιλέων*, im alten Testament noch erhalten als Titel der Schahe von Persien ,shâh-an-shâh' — qua cum re consentit locus apud Ammian. Marc. 19, 2, 11: ,Persis Saporem *saansaan* appellantibus et pirosen, quod *rex regibus imperans* et bellorum victor interpretatur'; idem rex Sapor ibid. 17, 5, 3 ,*rex regum*, particeps siderum' vocatur; eodem denique no-

mine Sapor quidam Persarum rex apud Trebell. vit. Valerian. c. 1 *rex regum* appellatur, isque in epistula quadam Valerianum imperatorem ,*principem principum*' nominat[1]). Porro apud Strabonem (XV p. 730) titulus quidam sepulcralis hic est: ,*ἔνθα δ' ἐγὼ κεῖμαι Κῦρος βασιλεὺς βασιλήων*'. Eundem magniloquentiae colorem in commemorandis Aegyptiacorum monumentorum titulis servat Diodorus Siculus: ,*βασιλεὺς βασιλέων Ὀσυμανδύας εἰμί*' (I c. 47) et cap. 55 hanc affert columnarum a Sosostride positarum inscriptionem: *βασιλεὺς βασιλέων καὶ δεσπότης δεσποτῶν Σεσόωσις*. Atque hoc titulo ,*δεσπότης δεσποτῶν*' utitur etiam Darius apud Aeschyl. suppl. 524; idem illud ,*βασιλεὺς βασιλέων*' legitur in nummis regum Syriae, Ponti, Armeniae; de Parthis cf. Sueton. Calig. 5. Pariter Strabo (XII c. 7) Priamum appellat *βασιλέα βασιλέων;* atque ex Asia minore hic titulus, ut aliae multae res, in Graeciam videtur immigrasse latissimeque patebat in genere Atridarum inprimisque in Agamemnone, Priami victore.

Itaque ut Cicero ep. fam. 9, 14, 2 Agamemnonem ,*regem regum*' appellavit, ita etiam Livius 45, 27, 9 Agamemnonem ,regem regum' dixit. Tum a Seneca dicitur Agam. v. 39: ,*rex* ille *regum*, ductor Agamemnon ducum'; cf. ibid. 292 regum rex. Quidni dicatur? nam ut verbis utamur ignoti poetae, qui Ovidium imitatus est ep. 8, 45, Agam. vocatur: ,hic pars militiae, *dux* erat ille *ducum*'. Velleius Paterc. quoque hanc formulam servat 1, 1 ,at *rex regum* Agam.' Denique Atreus Senecae in Thyeste v. 912 haec loquitur: ,o me caelitum excelsissimum *Regumque regem*'.

Atque hoc pervulgato nomine philosophi quoque Stoici utuntur *duplici* ratione. Nam primum quidem, ut significarent *sapientem*, quem sibi mente perfectum absolutumque informaverant, ut Hor. ep. 1, 1, 107: ,sapiens uno minor est Jove, dives, liber, honoratus, pulcher, *rex* denique *regum*, et sat. 1, 3, 136 ,magnorum maxime regum'; cf. Varr. sat. Men. 245 B. solus *rex*, solus rhetor, solus *formosus*, fortis, aequus (alios locos vid. in nota)[2]).

1) Plaut. Amph. 204 permutationem quandam legimus huius formulae: ,primorum princeps'.

2) Varr. sat. 245 B. solus *rex*, solus rhetor, solus *formosus*, fortis,

Immo ex hac certa Stoicorum formula, qua sapientem perfectum absolutumque descripserunt, profecta mihi videtur esse similis descriptio Christiana Iesus Christi, praesertim cum Christianos scriptores multa ex Stoicorum doctrina hausisse constet; est autem haec (ep. ad Timoth. I, 6, 15): Iesus ... beatus et *solus* potens, *rex regum* et dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem [3]); cf. Ioann. apocal. 17, 14 dominus dominorum et *rex regum*; ibid. 19, 16 *rex regum* et dominus dominantium.

Sed *Stoici* philosophi etiam Iovem ut summum unumque deum hoc nomine appellare solebant, cuius rei gravissimum documentum est locus apud Augustin. de civ. d. 7, 9 fin.: ,magis enim Iovi universum solent tribuere, unde est illud: Iovis omnia plena. . . . . . In hanc sententiam etiam quosdam versus Valerii Sorani (cf. de hoc poeta Teuffel R. L. § 147) exponit idem Varro in eo libro, quem . . . . de cultu deorum scripsit, qui versus hi sunt:

Iuppiter omnipotens, *regum rex* ipse deusque
Progenitor, genetrixque *deum deus* unus et omnes.'

Eundemque titulum denique adsciverunt sibi in media aetate, quae dicitur, reges et imperatores Germanorum ut heredes imperii Romani. Sed haec hactenus.

Ex sermone rituali alteram id genus denominationem

---

aequus; Lucil. 1173 L. *formosus*, dives, liber, rex solus; Cic. p. Mur. § 61 solos sapientes esse, si distortissimi sint *formosos*, si mendicissimi divites, si servitutem serviant *reges*; id. Acad. II § 136 sapientes solos *reges*, solos divites, solos *formosos*; de fin 4 § 74 solum praeterea *formosum*, solum liberum, solum civem, ibid. 5 § 84 at Zeno eum (sapientem) non *beatum* modo, sed etiam *divitem* dicere ausus est; ibid. Paradox. V. VI: *ὅτι μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος, μόνος ὁ σοφὸς πλούσιος.* Hor. sat. 1, 3, 124 si dives qui sapiens est . . et solus *formosus* et est *rex*; Lucian. vit. auct. 20 *μόνος οὗτος σοφός, μόνος καλός, μόνος δίκαιος, ἀνδρεῖος, βασιλεύς, ῥήτωρ, πλούσιος, νομοθέτης καὶ τ' ἄλλ' ὁπόσα ἐστίν.* Diogen. Laert. 7, 121 *μόνον τε ἐλεύθερον, τοὺς δὲ φαύλους δούλους . . οὐ μόνον δὲ ἐλευθέρους εἶναι τοὺς σοφούς, ἀλλὰ καὶ βασιλέας . . . . ὁμοίως δὲ καὶ ἀρχικοὺς δικαστικούς τε καὶ ῥητορικοὺς μόνους εἶναι.* Cf. Plut. de tranq. an. cp. 12.

3) Similis locus, qui ipse quodammodo videtur spectare ad hanc Stoicorum formulam, est ap. Cic. p. Rosc. Am. §. 135 ut se solum *beatum*, solum *potentem* putet.

commemoremus, qua summus dei Mithrae sacerdos significabatur *pater patrum*. In his enim sacris, quae, ut ex inscriptione (Mommsen. I. N. 6864 = Henzen 5844) intelligimus, iam imperatoris Tiberii aetate ab oriente Romam immigraverunt, initiati certis gradibus distincti erant, quorum summus erat „pater patrum Dei Solis Invicti Mithrae" (ap. Wilmanns inscript. 133) [4]); cf. Becker-Marquardt Handb. der röm. Alterth. VI p. 82 sq.; Preller röm. Mytholog. p. 763. Qua re illud confirmatur, quod iam de appellatione „rex regum" p. 37 observavimus, hanc denominationis rationem ex oriente in occidentem translatam esse; cf. infra p. 42 etiam titulum „servus servorum". Altera appellationis ratio cum Italicis tum civitati Romanae propria videtur fuisse, quae omnes „principem — ut ait Servius ad Verg. Aen. 9, 53 — fetialium" *pater patratum* nominabant [5]) cf. § 16.

Ceteri eiusmodi tituli sunt: *ductor ducum* (cf. supra p. 38) et *princeps principum* Martial. 6, 4, Trebell. vit. Valerian. c. 2; neque alia ratione apud Aeschyl. supplices puellae v. 508 Iovem *ἄναξ ἀνάκτων* invocant.

Quod dicendi genus a certis regum deorumque titulis translatum est ad aliorum quoque et personarum et rerum significatum, velut Hauptius l. l. ex anthol. Pal. VII, 45 affert formulam: ‚Ἑλλάδος Ἑλλὰς Ἀθῆναι' eamque sic interpretatur: ‚quod cum nihil aliud sit quam urbs in omni Grae-

4) Cf. Henzen in ephem. epigr. I p. 217 *patres* inter septem eorum, qui mysteriis Mithriacis initiati erant, gradum altissimum occupant, *pater* igitur *patrum* summum locum obtinet pro summoque Mithrae sacerdote habendus est.

5) De Laurentibus, Latinis, Samnitibus aliarumque civitatum fetialibus quaedam adnotat Becker-Marquardt l. l. VI p. 400. Ceterum quae in hac particula tractatur denominationis ratio, ut ab oriente profecta videtur, ita Romani eos, qui numeri vel collegio cuidam praefuerunt, attributo superlativo „*maximus*" ab inferioribus distinctos esse voluerunt; ad quam rationem etiam substantivum *magister* pertinet; cf. pontifex maximus, curio maximus (vid. Marquardt l. l. VI p. 188 [3], Festus p. 126 cuius auctoritate curiae omnesque curiones reguntur); haruspex maximus (vid. Marquardt l. l. p. 398); praetor maximus = consul στρατηγὸς ὕπατος Ῥωμαίων (vid. Mommsen. ephem. epigr. I p. 223 sq.) — magister populi, equitum; Saliorum, Arvalium; magister publicus haruspicum (= haruspex maximus vel, ut uno loco legitur Cic. div. 2 § 55, summus haruspex).

cia Graeco nomine dignissima solaque vera Graecia et reliquae Graeciae ita praestans ut illa ceteris praestet terrae regionibus'. Ex sermone Latino huc pertinent Flor. 2, 26 (4, 12, 13) ,Moesi quam feri, quam truces fuerint, quam ipsorum etiam *barbari barbarorum* horribile dictu est' et ibid. 1, 22 (2, 6, 35), saevitum in urbes *urbemque urbium* Caralim; cf. Petron. 37 *nummorum nummos* = innumerabiles n. Denique commemoramus formulam, quae hodie quoque in omnium ore est, *summa summarum;* cf. la somma della somme; exstat iam apud Plaut. Truc. 1, 1, 4; Lucret. 5, 361; Sen. ep. 40 extr.; Plin. nat. h. 7, 26 (27), 99, quibus locis valet, id quod nunc dicimus Hauptfacit, Hauptinhalt; cf. Krebs Antibarb. [5] s. v. summa.

Quam consuetudinem dicendi *Christiana* Latinitas recepit, sed etiam ad indefinitarum (i. e. abstracto sensu praeditarum) notionum amplificationem adhibuit, veluti

nugae nugarum et *vanitas vanitatum* Augustin. conf. 8, 11, 26; formula ,vanitas vanitatum', qua Goethium inscriptione carminis usum esse constat, orta est ex eccles. Salom. 1, 2: ,vanitas vanitatum, dixit ecclesiastes, vanitas v.' (Luther: es ist alles ganz eitel).

vita vitarum: Augustin. conf. 3, 6, 11, sed tu vita es animarum, vita vitarum'; ibid. 7, 1, 2 *vita vitae* meae = o vera vita mea ibid. 1, 17: quam formulam iam apud Apul. Ascl. 334, 41 H. invenimus: o *vitae vera vita;* cf. illud ,vita mea' blanditiarum plenum apud antiquos scriptores: Pl. Truc. 2, 4, 37; Cas. 1, 47; Propert. 3, 26, 1.

caeli caelorum Psalm. 148, 4, ibid. 113, 16 *caelum caeli.* Pervulgatissima formula est: *in saecula saeculorum* = *εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων* ep. Tim. 1, 1, 17; 2, 4, 18; Rom. 16, 27; Hebr. 13, 20, saepissime; vita Adae et Evae p. 47; gen. singul. ut in formulis ,vita vitae, caelum caeli' positus est Hebr. 1, 8; Psalm. 83, 5 etc.: *in saeculum saeculi.*

Iam ut ad titulos redeamus, ex Christiano more dicendi praeter illud ,rex regum' de Iesu Christo dicta sunt:

dominus dominorum Commod. instruct. 1, 22, 9, ut ap. Ioann. apocal. 17, 14; 19, 16 et ep. ad Timoth. 1, 6, 15 *dominus dominantium.*

Atque ut Iesus Christus ,rex regum' et ,dominus dominorum' appellatur, ita papae in medio aevo vulgaris titulus

erat ,*servus servorum* Dei'[6]); et ut ait Ioann. Diaconus in vita Gregorii Magni lib. II cap. 1 ,Gregorius Magnus primus omnium se in principis epistularum suarum *servum servorum Dei* scribi satis humiliter definivit' (id est c. ann. 590—595; cf. Haase Kirchengeschichte [2] p. 126 sqq.). Ceterum ipsa formula ,servus servorum' iam invenitur Vulg. gen. 9, 25: maledictus Chanaan servus servorum erit fratribus suis; quo loco iam Hebraicum exemplar idem dicendi genus adhibet. Ad pontifices Romanos transtulit Augustinus epist. 130 ad Probam et 217 ad Vitalem. — Alter papae titulus huc spectans est: *episcopus episcoporum* Tertull. pudic. 1; cf. Koffmane Geschichte des Kirchenlateins 1879 I p. 24. De utroque titulo v. Du Cange, s. v.

Memorabile est curialem quae dicitur dictionem medii aevi pro formula ,dominus dominorum'superlativum substantivi formasse *dominissimus* et contrarium *servissimus*. Atque quemadmodum iam Plautus iocose superlativos ,oculissime homo, o patrue mi patruissime (cf. Brix ad Pl. Trin. 397), sic ex linguis Romanicis inprimis Itali, qua sunt animi alacritate, tales superlativos fingunt: ,fratellissimo (Bruder über alle Brüder), virginissima, asinissimo, casissimo' (Hauptfall); cf. span. duennissima Diez l. l. III [4] p. 16.

§ 13. De adiectivis.

Simili modo ut substantiva etiam positivi *adiectivorum* cum suis genetivis copulantur idque duplici ratione, cuius utriusque tamen generis singula tantum exempla nobis suppeditant et ea quidem Latinitati Christianae propria.

a) gen. mascul. *sanctus sanctorum:* Iesus appellatur apud Commodian. carm. apolog. 267; cf. similem dictionem Graecorum: *δειλαία δειλαίων κυρεῖς* Soph. Elect. 849 et Francogallorum: le brave des braves.

b) gen. neutr. *sancta sanctorum* das Allerheiligste ep. Hebr. Vulg. 9, 3, ex Graeco ,*ἅγια ἁγίων*' translatum. Omnino lingua Graeca hoc genus dicendi adamavit, de quo Hauptius l. l. haec: *κακὰ κακῶν*, ait, etsi dicun-

6) Addimus hoc loco facete dictum Zinkgrefii († 1635):
Servierant tibi, Roma, prius *domini dominorum*,
Servorum servi nunc tibi sunt domini.

tur quae sunt κάκιστα, tamen non tam haec significantur quam ea quae mala sunt inter ipsa mala atque ita eminent, ut praecipue et proprie mala dicenda sint'. Cf. Aeschyl. Pers. 682 πιστὰ πιστῶν, Soph. Oed. tyr. 464 ἄρρητ' ἀρρήτων, ibid. Oed. Col. 1237 κακὰ κακῶν, Diocles Mein. II. p. 838 τὰ κακὰ τῶν κακῶν, Pherecrat. Mein. p. 300 τὰ καλὰ τῶν καλῶν. Du Cange, s. v. *secreta secretorum:* sive de regimine principum etc. ad Alexandrum Magnum, titulus libri Pseudoaristotelici.

§ 14. De formulis: amicus amico; praesens praesentem, ipsus ipsum, solus solum.

Quas in hac paragrapho tractamus formulas ex eodem vere fonte originem ducunt, unde hae: ,alius alium, alter alterum, manus manum lavat', in quibus repetitio eiusdem vocis vicissitudinem quandam indicat; quare ,amicus amico' de mutua amicitia coniunctis dicitur, et locutione ,solus te solum volo' conventus duorum hominum remotis omnibus arbitris intelligitur. Sed ex his formulis ut sensim sine sensu vicissitudinis notio obscurabatur, ita vis quaedam prompta atque aperta comparebat. Ita accidit, ut formula ,amicus amico' quasi proverbii loco verum et germanum amicum significaret et locutiones ,solus te solum volo' similes valerent: ,ich will dich ganz allein (nur dich) sprechen'.

1) *amicus amico:*

Pl. Curc. 332 ut decet velle hominem amicum amico; Mil. 660 non invenies alterum, qui amico amicus sit; Ter. Phorm. 562 solus et homo amico amicus (Apollodorus Donato auctore ad h. l. hunc versum finxit μόνος φιλεῖν γὰρ τοὺς φίλους ἐπίσταται scil. ἄνθρωπος); Accius trag. 132 qui neque amico amicus unquam gravis neque hostis hosti fui; Petron. sat. 43 frater eius fortis fuit, amicus amico, manu plena [1]); ibid. 44 rectus, certus, amicus amico.

2) *solus solum:*

Pl. Trin. 153 id solus solum me obsecravit; Capt. 602 solus te solum volo; Mil. 1019 cedo te mihi solae solum;

---

1) *plena manu:* eadem locutio proverbialis repetita ab imagine serendi invenitur ap. Cic. ad Attic. 2, 25, 1 pl. manu laudare, et Sen. Apocal. 4.

Asin. 500 solus mihi talentum soli adnumeravit; Ter. Hec. 350 omnem rem narrabit continuo sola soli; ibid. 557 solum solus conveni; cf. Plat. symp. 217 B. συνεγιγνόμην μόνος μόνῳ [2]), Ter. Eun. 579 ut maneam solus cum sola. Hanc in sermone Graeco frequentatam dicendi formulam et poetae et scriptores pedestres Latini receperunt, velut Rutil. Lupus Lysiam secutus haec dicit 2 § 4: deprecanti quod petebat dedi *solus soli* (= μόνος μόνῳ ap. Plat. symp.); ceterum cf. versum illum nostratis poetae Schilleri (Tell. III, 1): Da kam der Landvogt gegen mich heran, Er ganz allein mit mir, der auch allein war.

3) *praesens praesentem, absens absentem:*

Pl. Pseud. 1142 quia tu eum ipsus ipsum praesens praesentem vides; Most. 1075 adsum praesens praesenti tibi [3]); Accius trag. 134 qui me praesentem praesens dictis mertare institit; Ter. Ad. 668 quom hanc sibi videbit praesens praesentem eripi. Cf. Cic. ep. fam. 1, 9, 2 ut eos (fructus) uberiores et praesentiores praesens capere potuisset; Verg. Aen. 4, 83 illum absens absentem audit videtque.

4) *ipsus ipsum:*

Cf. locum sub 3 ex Plaut. Pseud. 1142 allatum; ibid. Stich. 373 tune eum ipsus ipsum vidisti.

Atque ex his formulis ut ex toto hoc figurae etymologicae genere perspicue cognosci potest vis illa amplificationis atque facultas ex duobus vocabulis congeneribus unam eandemque ponderosam notionem efficiendi. Revocate quaeso in memoriam praeter quas modo persecuti sumus locutiones ‚amicus amico ein treuer Freund, solus solum ganz allein', illas quoque, de quibus § 12 et 13 diximus: ‚rex regum Oberkönig, summa summarum Hauptinhalt, sancta sanctorum das Allerheiligste'.

Data occasione illud monemus, in his formulis ‚solus solum' aliis, quod ceteris plerumque vi superlativi efficitur, circuitione quadam, id est iteratione eiusdem vocis effectum

---

2) Eodem munere amplificandi notionem vocabuli solus, *μόνος* fungitur altera figura etymologica, de qua infra § 20 dicemus, *unice unus*, οἰόθεν οἶος.

3) De abundanti formula: *praesentem adesse* vid. § 23.

esse; nam quis est qui neget locutionem ‚ipsus ipsum' idem valere ac superlativum ‚ipsissimum', quem Plautus uno loco formavit Trin. 988 (cf. *αὐτότατος* Aristoph. Plut. 83). Hoc igitur iterationis auxilium ea potissimum adiectiva et pronomina arcessunt, quae a naturali gradatione abhorrent ut ‚solus, ipsus, praesens'; neque alia ratio inest in formula ‚barbari barbarorum' (cf. p. 41), quae superlativi loco posita est; caret enim superlativo adiectivum barbarus; cf. Neue Formenlehre II ² 136.

Eadem lege utitur quae dicitur g e m i n a t i o, quae in multis linguis in superlativi locum succedit, ubi adiectiva gradationi repugnant, ut in lingua Germanica *all all* = allst; cf. graec. *παντάπασι*. Grimmius l. l. p. 648 citat ‚mhd. sëlpsëlpo, sëlbsëlbe' (= *αὔταυτος* in dorica dialecto)[4]) idque genus exempla adnotat ex Celto-bretonicis linguis, Diezius l. l. II, 481 ex linguis Romanicis — frg. bien bien, it. vicin vicino. Quae geminatio in lingua Latina primum occurrere videtur apud Commodian. instruct. 2, 24, 8 malus malus = pessimus (nisi potius *malum malo* scribendum est cum editione princ.), deinde saepius apud Christianos scriptores et in titulis sepulcralibus Christianis. Qua de re his diebus W o e l f f l i n u s in libello: Lateinische und romanische Comparation, Erlang. 1879 p. 4 sqq. summa cum subtilitate disseruit atque hanc geminationem ab Hebraico quodam dicendi genere profectam et conversione sacrarum litterarum in linguam Latinam translatam esse suspicatus est.

2. De adiectivis attributive substantivis eiusdem stirpis adiunctis.

§ 15. De adulterino quodam huius figurae genere.

In hac figura ut in aliis separandae sunt eae formulae, in quibus substantivum vel adiectivum angustiore significatu praeditum est, ut Cic. Verr. 5 § 12 *e x i t u s e x i t i a l e s* = die letzten Stadien des Untergangs (cf. ib. leg. agr. II § 10 ex-

---

4) Cf. Apollon. de pron. 79 B. *μόνη δ ι π λ α σ ι ά ζ ε τ α ι παρὰ Δωριεῦσιν ἡ αὐτὸς ἐν τῷ α ὔ τ α υ τ ο ς: αἲ δὴ μὴ ἐγὼν μάθον ταῖς αὐταύταις χερσίν* (= mit meinen eigenen Händen); Epicharm. 94, 7 *πεπαίδευται γὰρ αὐταύτας ὕπο* et in inscriptione Cretensi: *εὐξαμένα ὑπὲρ αὐταύτας εὐχάν.*

tremi exitiorum exitus); ad idem genus spectant: *in mediis medullis* Quintil. 2, 1, 11; *scortum scorteum* Apul. met. 1, 37, 8 H. Ex Plauto huc referendae sunt formulae: *acetum acidissimum* Pseud. 739; cf. acetum acre Hor. sat. 2, 3, 116, *ἔστιν ἔνδον ὄξος ὀξύ σοι* Diphilos ap. Athen. 4, 139 sq.; his locis nititur coniectura Fritzschii Anal. Plaut. (ind. lectionum Rostoch. 1877/78) ‚nunc experiar sitne acetum tibi *acore acri* in pectore' Bacch. 405 (lect. vulg. est: sitne aceto tibi cor acre in p.); *vivi convivae* Pseud. 799 L.; *mores moros* et *morosos* Trin. 668 (de voce morus = *μωρός* vid. Brix ad h. l.); ibid. 665 *ingenium ingenuom* (cf. ingenium ingens Hor. sat. 1, 3, 33); *vir viraceus* [1]) Varr. sat. 300 B. = *ἀνὴρ ἀνδρεῖος* Plat. Crit. p. 45 D. = ein männlicher Mann. Inserimus huic loco usitatissimam formulam, in qua propter adiectivum compositum omnis memoria cognationis cuiusdam inter substantivum et adiectivum obscurata est: *hodiernus dies* Cic. p. Caecin. § 9, aliis locis saepissime; cf. Graecam similitudinem: *ἡ σήμερον ἡμέρα* Demosthen. 193, 7, Lycurg. in Leocr. 148, 2.

§ 16. De proprio ac sincero genere.

Hoc dicendi genus, quo substantiva atque adiectiva eiusdem et stirpis et significationis coniunguntur, ut ‚pulchra pulchritudo', pleonasmi quandam speciem prae se ferre nullo pacto negari potest; qua ex re planum fit inprimis poetarum sermonem hac loquendi consuetudine uti, velut Plauti, qui in hac figura etymologica ut in aliis praeter ceteros luxuriatur; contra Terentius ne unum quidem exemplum praebet.

Est autem duplex ordo formularum, cum adiectiva aut positivo aut superlativo gradu utantur. Atque in Germanica quidem lingua hae florent, in Latina illae. Nos enim certas quasdam etiam orationi solutae proprias formulas id generis in ore habemus ut: ‚die tiefste Tiefe, die nächste Nähe, die kleinste Kleinigkeit, die höchste Höhe, die neueste Neuigkeit, die wildeste Wildniss, in der frühesten Frühe' sine ullo pleonasmi sensu, qui est in positivo ‚die wilde Wildniss' etc.;

---

1) Adiectivum *viraceus* Varronem sibi finxisse in modum usitatissimae formationis ‚gallus gallinaceus' Buechelerus recte adnotavit Mus. Rhen. XX, 441 (vir — virago — viraceus = far — farrago — farraceus).

cuius positivae dictionis unum exemplum inveni apud poetam Logavium ‚küssten eine l a n g e L ä n g e' (III. Tausend n. 124 ed. Fischer) cf. *μαρὸν μῆκος* Aesch. Prom. 1025, Eur. Or. 72. Ceterum in lingua Graeca adiectivorum cum suis substantivis compositorum exempla in quocunque genere dicendi prompta sunt et obvia apud Lobeck. l. l. p. 535 (*αἰσχύνη αἰσχρά* Thuc. 5, 111 (*αἴσχίων*), Dio Cass. 43, 9; *εὐκταῖαι εὐχαί* Aristoph. av. 1060; *δίκη δικαία* Soph. Ant. 24 = ius iustum). Neque opus erit hoc loco repetere etiam in hac adiectivi cum suo substantivo copulatione vim illam figurae etymologicae adaugendi notionem cognosci posse; nam ‚*εὐκταῖαι εὐχαί*' sunt: f l e h e n t l i c h e Bitten et ‚iustum ius': das v o l l e, g u t e Recht.

Iam ordiamur seriem exemplorum, ut poetae solent, ab invocatione deorum dearumque. Allitterationis studio inductus Plautus finxit formulam: *V e n u s v e n u s t a* Most. 153, Poen, 5, 4, 4 (Stich. 742 ‚amoena Venus'). In actis fratrum arvalium (ap. Wilmanns II nr. 2876 – 85) saepissime *d e a D i a* commemoratur quam — deam dicas quasi *κατ' ἐξοχήν* — alii Cererem, alii Opem interpretantur; cf. Marquardt-Becker Handbuch der röm. Alterth. vol. VI p. 433. Ipsa *Ops opifera* invocatur in incendiis arcendis (Mommsen in ephem. epigraph. I p. 37); eandem significationem legimus in hemerologio fratrum arvalium, recteque Iordan. ephem. epigr. I p. 230 ‚Opi opiferae' restituit Plin. nat. hist. 11, 174. Subiungere licet formulas solemnes: *feriae feriatae* ap. Front. p. 223 N. et *p a t e r p a t r a t u s* (vid. supr. p. 40), qua in formula ‚patratus' aut participium depon. est (ut iuratus: cf. Weissenborn ad Liv. 1, 24, 6) aut idem valet ac ‚creando perpetratus' [2]) (cf. Becker-Marquardt l. l. VI, 401). Hunc ‚patrem patratum' Plutarchus qu. R. 62 cum simili appellatione ‚patris patrimi' confundit; dicit enim de patre patrato *ἔστι δὲ οὗτος, ᾧ πατὴρ ζῇ καὶ παῖδές εἰσιν.*

Sed transgrediamur ad ceteras formulas:

a) S u p e r l a t i v i:

a m i c i s s i m a a m i c a Pl. Pseud. 1263, *amice amicissime* Front. p. 56 N. — *malum pessimum* Pl. Cas. 3, 5, 31. — *mi-*

---

2) O. Keller, in annal. philolog. 1863 p. 768 interpretatur patrem patratum = p. pat(e)ratum ‚der Priester mit der Patera' (sic!).

serruma miseria Pl. Amph. 590; si ipse residat in *alto altissimo* Apul. mund. 407, 27 H. Iocose dictum est Pl. Poen. 5, 4, 37 o *patrue patruissime* mein alleronklichster Onkel; similiter Notker Balbulus (de interpr. divinar. scripturar. c. 7 apud Pez Thes. anecd. I p. 9) poetam Prudentium nominat ‚*Prudentissimum Prudentium*', ad idemque genus dicendi spectat *Simplicius* ille *Simplicissimus*.

b) Positivi:

acris acies Enn. trag. 325, *acrior acies* Sen. nat. q. 7, 11; *acris acrimonia* Naev. trag. 40.

aeternum aevum[3]) Ovid. Met. 1, 662.

amoena amoenitas Pl. Capt. 774.

anxius angor Lucret. 3, 993; cf. permutationem ‚timor anxius' § 18.

baccha bacchans Pl. Amph. 703.

consulto consilio Gell. 2, 19, 4 eumque imitatus Ammian. 14, 11, 3 (cf. Hertz Herm. VIII p. 285 ut ‚opera consulta' Gell. 7, 17, 3 = Ammian. 14, 10, 5; 29, 1, 3); Paul. sent. rec. 1, 9, 6. Cf. supra pg. 17.

doctus doctor Sid. Apoll. carm. 1 v. 25.

falsa fallacia Pl. Asin. 266; *falsidicae fallaciae* Pl. Capt. 671.

gradilis gressio Pacuv. tog. 5.

gratas grates Pl. Trin. 821, *gratas gratias* Poen. 1, 1, 6; quo utroque loco Brix (ad Trin. 821) legit ‚grates gratias(que)', haud recte, opinor. Nam formula ‚gratas gratias' et compluribus similitudinibus huius figurae etymologicae apud Plautum ipsum defenditur et testimoniis Apulei Met. 1, 60, 20; 9, 782, 13 H. *gratas gratias* et Diomedis grammatici, qui inter alia paronomasiae exempla (vid. p. 6) ‚*gratas gratias*' citat.

iusto iure Liv. 21, 3, 4; cf. *δίκη δικαία* Soph. Ant. 24.

luce lucida Apul. Met. 11, 22 H.

---

3) Nescio an Ovidius perspectum habuerit adiectivum *aeternus* recta via a substantivo aevum — aevitas (= aetas) — *aeviternus* (= aeternus) derivatum esse; quod si intellexisset, certe neque ipse hanc insolitam figuram etymologicam neque Horatius carm. 4, 9, 34 similem formulam finxisset: *obliviones lividae*, cuius utriusque nominis originatio repetenda est ab eodem fonte *liv(lu)* = graugelb sein; cf. *l*utum, *l*uror; *l*ivor, *l*ividus, ob-*l*ivio.

ludi ludificabiles Pl. Cas. 4, 1, 3.

lutum lutulentius Pl. Poen. 1, 1, 30; permutat. ‚lutulentum caenum'.

magna magnitudo geogr. min. (Honorii cosmogr.) pg. 49, 2 R.

medio meditullio Apul. Met. 5, 305, 1 H.

mundities mundior Catull. 23, 18.

nitoribus nitidis Pl. Cas. 2, 3, 1.

novamen novum Tertull. adv. Marc. 4, 11; vid. supra p. 22.

nimium *nugax nugator* Pl. Capt. 272: coniecit Spengel in Philolog. Gotting. vol. 37 p. 433.

otium otiosum Enn. trag. 187.

pretium pretiosum Pl. Epid. 1, 2, 17.

pulchra pulchritudo Pl. Mil. 959; cf. Achill. Tat. V, 25 p. 128, 11 *κάλλους καλοῦ*.

rauca ravis in fragm. cod. Palat. ex Plauti Cistellaria; cf. Non. p. 164, 16 ‚ravis est raucitas' et Fest. p. 274 M. ‚ravim antiqui dicebant pro raucitate', vid. Studemund in Herm. I, 298.

salva salute Pl. Epid. 1, 2, 24 (Goetzius omisit in novissima editione vocem ‚salva'); *salus salubrior* Pl. Cist. 3, 13.

sonitus sonans Lucret. 1, 826.

suavis suavitas Pl. Pseud. 859 L.; *suavia savia* Pseud. 931 L., Apul. met. 6, 417, 8 H.; inde coaluit Plautina compositio: *suavisuaviatio* Bacch. 116. 120, Pseud. 63; cf. Lorenz ad h. l.

tran-quilla quies Sen. Herc. fur. 161 (permutatio?).

vis violenta Lucret. 3, 296; 5, 961.

vita vitalis Enn. ap. Cic. Lael. § 22; cf. permutationem ‚vitalem aevom' Pl. Poen. 5, 4, 25.

voluntaria voluntate Pseudo-Apul. Asclep. 3:0, 26 H.

Graeci magis varias huius figurae etymologicae formas invenerunt, quippe quorum lingua accommodatissima sit ad vocabulorum compositionem; ex Lobeckio l. l. p. 536 huic loco addimus: *πλάνη πολύπλανος, φρονήματα ὑπέρφρονα* apud tragicos, *ὑπεραὴς ἄελλα* apud Homerum; *μῆκος εὔμηκες* Theophr.; *φωνὴ εὔφωνος, εὔπορος εὐπορία* Galen; *πλόος εὔπλοος* Erinna, *πόρος εὔπορος* Eurip., *ἦθος εὔηθες* Aristot., *ἄφθονος ἀφθονία* alia. Cf. Joa. Schmidt, de epithetis compositis, Berol. 1865, pg. 40 sqq., ex quo aliquot permutatio-

nis exempla adscripsimus: *βίοτος εὐαίων* Aesch. Soph., *εὔδειπνοι δαῖτες, εὔορμοι λιμένες* Eurip.

§ 17. Adiectiva negantia suis substantivis adnexa.

Ennii illud dictum, cuius modo mentionem fecimus (qui potest esse vita vitalis etc.?), si quis accuratius perpenderit, facile negativam sententiam, ut vita non vitalis esse dicatur, inesse perspiciet [1]). Unde nova exoritur figura, *ὀξύμωρον* quod dicitur, quo secum repugnantia acute componuntur. Quae si legibus figurae etymologicae adstricta est, novum etiam figurae etymologicae genus emersisse videmus, quo cum plerique Graecorum poetae tragici delectati sunt, tum maxime Euripides: cf. Lobeck paralipp. p. 230. Ioa. Schmidt, de epithetis compositis, pg. 43 sqq. Atque ut in aliis rebus facem praetulit posterioribus poetis Homerus, ita huius quoque generis dicendi prima proposuit exempla: *Ἶρος Ἄϊρος* Odyss. 18, 73; *Πάρις Δύσπαρις* Il. 3, 39; 13, 769; *μήτηρ δυσμήτηρ* Od. 23, 97. Quem tragici secuti et substantiva componebant particula negativa ut *Ἀργεῖος οὐκ Ἀργεῖος* Eur. Or. 904; *γυναῖκα οὐ γυναῖκα* Soph. Oed. tyr. 1256, et inprimis adiectiva negantia eiusdem stirpis substantivis adiungere iuvabat, veluti: *ἀδεὲς δέος δεδιέναι* Plat. symp. 198 A.; *γένος ἄγονον* Eur. Herc. 887; *δύσζωος κἀβίωτος βίος* Epigr. Adesp. 653 = vita non vitalis; *ἄδωρα δῶρα* Soph. Aias 665; *ἄοικον εἰσοίκησιν* Soph. Phil. 534; ibid. 848 *ὕπνος ἄυπνος; μήτηρ ἀμήτωρ* Soph. El. 1154 alia.

Latina autem exempla sunt haec:

concordia discors: Hor. epist. 1, 12, 19; Ovid. Met. 1, 433; Lucan. 1, 98: cf. M. Hertz anal. Horat. 1877 II p. 13. — Theologus Hospinianus a. 1607 libellum scripsit contra concordiae formulam, quae dicitur, eique titulum ,concordia discors' indidit.

infamis fama Oros. 5, 19; ibid. 5, 20 *infelicissima felicitas.*

ius iniustum corrigere Front. p. 141 N. cf. ius iustum p. 48.

mentes dementes = *φρένες ἄφρονες* Enn. annal. 209 V.

---

1) Cicero pro locutione ,vita non vitalis' dicit *vita nulla:* cf. Cat. M. § 7, Lael. § 86 fin.; de off. 2 § 15; de or. 2 § 20.

numeri innumeri Plautus ap. Gell. n. att. 1, 24, 3, Auson. idyll. 4, 47; singul. Lucret. 2, 1054. 3, 777; *numerus innumerabilis* Lucret. 6, 485; Varr. l. l. 9 § 28. 32; cf. numero innumerabiles Cic. p. Sest. § 97.

innuptae nuptiae inc. inc. fab. trag. 80 = *ἄγαμος γάμος* Soph. Oed. tyr. 1214, Eur. Hel. 690.

inordinatum ut sic dixerim *ordinem* servant Pseudo-Apul. mund. 342, 2 H.

quies inquieta Sen. ep. 56, 8; *sepultura insepulta* Cic. Phil. 1, § 5 (cf *τάφος ἄταφος*); *spes insperata* Pl. Men. 1081, Merc. 5, 2, 2.

Augustinus ut in aliis sic in hac figura etymologica nova invenit: *malevola benevolentia* conf. 3, 2, 3, ibid. 3, 3, 6 *pudor impudens*.

Duo substantiva negativa aliqua particula inter se conexa paucissimis locis occurrunt in lingua Latina; huc pertinet illud Catullianum ex Graeco expressum 64, 83: *funera nec funera* (= sine funere funus Manil. 5, 548; vivum funus Apul. met. 4, 34; Rutil. Namat. 1, 518), quae formula simillima est Graecis ‚Ἀργεῖος οὐκ Ἀργεῖος, γυναῖκα οὐ γυναῖκα'. Cuius dicendi generis insolentia nonnihil deminuta est in formula: ‚at pater infelix nec *iam* pater' Ovid. met. 8, 231, art. amat. 2, 93 (quam f. affert Schwabe ut similitudinem locutionis ‚funera nec funera' in recensione libri ‚Ellis commentary on Catullus' annal. Jahn. 1878 p. 265 pro illis similioribus ex Graeco more dicendi repetitis).

Eodem spectat formula haud rara in sermone cotidiano: *nemo* (= ne homo) *homo*. Locos ex scriptoribus priscis vid. apud Holtze synt. prisc. Lat. I, 343. 409; cf. Dziatzko ad Ter. Phorm. 591; Cic. p. R. Am. § 135 [2]).

Ex hoc quoque genere figurae etymologicae apparet, id quod iam multis locis animadvertimus, linguam Graecam verborum compositioni magis accommodatam multo praestare Latinae.

§ 18. De permutata huius figurae ratione.

Permutatio fit, quoties pro eiusdem stirpis adiectivo aliud

2) Cf. Charis. p. 75: Nemo . . . antiqui et pro nullo posuerunt, ideoque *nemo* dicentes, quasi minus significarent, et *homo* addebant.

similis significationis ponitur. Cuius permutationis, ut in ceteris generibus, maiorem exemplorum copiam proferre a proposito nostro alienum est. Ceterum in hoc quoque genere tamquam infracta figurae etymologicae audacia plures probatioresque scriptores versari observavimus. Denique monemus adiectivum synonymum, sicut etymologicum, substantivi notionem intendere atque amplificare, velut in exemplo *muta silentia*, quod vertas ‚lautlose Stille, Todtenstille'.

a) Superlativorum exempla:

celebritas frequentissima Cic. Cael. § 47; *claritudo inclitissima* Cat. fragm. ap. Gell. 3, 7; *inertissimum atque desidiosissimum otium* Cic. leg. agrar. II, § 91; cf. otium otiosum § 16.

b) Positivorum exempla:

velox agilitas Vict. Vit. 2, 48; *impudens audacia* Phaedr. 3, 5, 9; *celeri festinatione* auct. bell. Hisp. 2, 1; 38, 6; *celeri velocitate* Apul. Asclep. 3: cf. act. I p. 446, Koziol Stil des Apul. p. 37 sq.; *rigidum frigus* Lucret. 1, 355; *gelidus rigor* ibid. 5, 638; *rabidus furor* Catull. 63, 38; *laeta gaudia* id. 64, 236, *nitor splendidus* Apul. Met. 11, 1091, 29 H. ibid. 2, 94, 9, *risu cachinnabili* ibid. 3, 162, 7; *lutulentum caenum* Pl. Bacch. 384 (cf. lutum lutulentius § 16); *muta silentia* Ovid. Met. 4, 433; 7, 184; 10, 53; de usitatis apud Apul. formulis: *silentiosa secreta*, *tacita secreta*, *arcana secreta* vid. Koziol l. l. p. 37; *tranquillum otium* Amm. Marcell. 17, 1, 3 (cf. otium otiosum § 16); *pertinax pervicacia* inc. auct. ap. Front. p. 61 N.; *pugnae proeliares* Pl. Curc. 573; *tardas moras* Tibull. 1, 3, 16, Ovid. permultis locis; *remotus recessus* Amm. Marcell. 18, 6, 16; *anxius timor* Verg. Aen. 9, 89; Ovid. epist. 13, 149 (cf. anxius angor § 16) [1].

Permutationis exempla illius negativae dictionis:

insaniens sapientia Hor. carm. 1, 34, 2; *itinera devia* Cic. ep. ad Attic. 4, 3, 4. Contrarium legitur apud eundem Horatium epist. 1, 11, 28 *strenua inertia*.

---

1) Id genus pleonasmi magis magisque increbrescunt in Latinitate cum argentea tum quae dicitur Africana; cf. Koziol, Stil des Apuleius p. 39 sqq.; Zink, der Mytholog Fulgentius 1867 p. 59 sqq.

3. De congenerum verborum inter se copulationibus.

Quoniam supra docuimus substantiva accessione aut congeneris substantivi (rex regum) aut congeneris adiectivi (pulchra pulchritudo) etymologicas quasdam figuras efficere, (idem autem ad adiectiva valere accessione congeneris adverbii veluti ‚laete laetus' in tertio capite demonstrabimus) in hac tertia parte secundi capitis disputaturi sumus, quales figurae etymologicae oriantur ex accessione congenerum verborum ad sua verba

§ 19. Quod de plerisque figurae etymologicae generibus dici potest magis ea ubertatis cuiusdam orationis quam severitatis cogitandi speciem prae se ferre, qua ex re non tam ad accuratam distinctamque philosophorum et historicorum dictionem quam ad cotidianum vitae sermonem accommodata sunt, idem valet ad ea quae nunc tractaturi sumus figurae etymologicae genera.

a) de i n f i n i t i v o etymologico.

Pervulgatissima huius generis formula *videre videor* non sincera existimanda est, quippe in qua deponens ‚videor' novam significationem ‚arbitrandi' asciverit. Disseruit de hac ac potissimum de ratione verbi ‚videre', quod idem valet ac ‚praesens sive coram videre' Seyffert l. l. p. 296. Aeque adulterina formula est *amare amabam* = solebam amare apud Augustin. conf. 3, 1, 1.

Illud figurae etymologicae genus, ubi infinitivus amplificationis causa accedit ad verbum finitum, exstat etiam in veteri lingua Lusitana, ut ‚vejo veer' ich sehe, ‚levo lever' ich trage; cf. Diez l. l. III p. 256 adnott.

Latina exempla sunt haec:

properare propero Pl. Aul. 2, 2, 4; *pergitin pergere* Pl. Pseud. 1249, Poen. 1, 3, 24; oro . . ut *memineris meminisse* Capt. 245 B. = memoriter meminisse ibid. 247. Pseudetymologica figura est: *currere curamus* = dedita opera currere Rutil. Namat. I, 429.

Ex *compositionis* ratione orta est formula Ter. Andr. 660 nunquam *destitit instare*.

P e r m u t a t i o n i s exempla sunt: propere *propero currere* Pl. Aul. 2, 8, 23; cf. in carmine Gualtharii (edit. Scheffel) v. 347 ‚properabant currere'; *efficere perpetrat* Pl. Truc.

2, 5, 18; *studeo velle* Catull. 93; *maturare festino* Tac. dial. cap. 3; de hac sermoni familiari inprimis propria abundantia loquendi cf. Vahlen commentt. philol. in honorem Theod. Momms. 1877 p. 665.

b) In capite III, in quo gradationem verborum et adiectivorum per adverbia factam continuo tenore pertractamus, praeter adverbia adiectiva quoque hoc munere fungi demonstrabimus (tacite — *tacitus* tacere). Quid? quod paucis locis in locum adiectivi participium praesentis succedit, ut Enn. trag. 256 R. *cupiens cupere* = cupide cupere (heftig begehren). Simili modo iam Homerus Il. 20, 316 *ὁπότ' ἂν Τροίη μαλερῷ πυρὶ πᾶσα δάηται δαιομένη*, quae congeries, ait Lobeckius l. l. p. 532, ad amplificationem pertinet; et Lucian. dial. Mar. IV, 3 p. 101 T. II dicit *ἰδὼν εἶδον* = *αὐτὸς εἶδον, ὄψει εἶδον* ut Vulg. act. apost. 7, 34 *videns vidi* (Luther: ich habe wol gesehen). Quae participii et praesentis et perfecti cum verbo copulatio late patet in Latinitate Christiana atque — ut ablativus gerundii etymolog. (c) — originem Hebraicam redolet; cf. Vulg. Gen. 22, 17, Hebr. 6, 14 benedicens benedicam te et multiplicans multiplicabo te = *εὐλογῶν εὐλογήσω σε καὶ πληθύνων πληθυνῶ* — Sam. 2, 27 revelatus revelatus sum = *ἀποκαλυφθεὶς ἀπεκαλύφθην*, quam locutionem Hieronymus epist. ad Marcell. ita commemorat: ‚*manifeste* ostendi me‘.

c) ablativi gerund. exempla haec sunt:

sciendo scire = sciens scire *γιγνώσκων γνώσῃ* ap. Augustin. locut. de genes. 49, 70; *praecipiendo praecepimus* = *παραγγελίᾳ παρηγγείλαμεν* act. apost. Vulg. 5, 28.

d) Copulatio participii perfecti cum verbo finito nihil habet mirabile in versu ap. Lucret. 6, 53: ‚haec faciunt animos humiles formidine divom *Depressos*que *premunt* ad terram‘, ubi participium ‚depressus‘ adiectivum synonymum ‚humilis‘ excipit nec pleonasmus inest in hac locutione ‚depressos premere‘. Rectius talem invenias in veteri formula ap. Liv. 22, 10, 2 *datum* donum *duit* [1]), quacum com-

---

1) Madvigius recte mihi hoc loco pro ‚datum‘ particulam *tum* videtur restituisse, quae usitata est in apodosi enuntiati condicionalis idque inprimis in votorum formulis; cf. locum ap. Henzen act. fr. arv. p. 100: Iuppiter si imperator vivet eumque servaveris . . . *tum*

parari potest altera ap. Pl. Pseud. 223 ‚tu nisi hodie *facis effecta*, quae loquor', ubi verbum finitum amplificatur accessione particip. perf. (= wenn du es nicht wirklich — factisch — thust); cf. Trin. 397 ‚factius nihilo facit' et Brix ad h. l. His in formulis recte vidit B. Dombart in ‚Blätter für das Bayersche Gymnasialw.' V p. 169 circumscriptionem verbi simplicis per transitiva generalia ut ‚inventas reddam, incensam dabo = incendam', quarum usitatissima est ‚missum facere = mittere'; cf. exempla huius formulae collecta apud Thielmannum ‚De sermonis proprietatibus quae leguntur apud Cornificium' Argentorat. 1879 p. 28 (374).

Sed ab hoc dicendi usu prorsus seiungendus est alter, cuius vim optime perspicimus ex pervulgatissima formula: *actum agere*, quae orta est ex sermone iudiciali. Cf. Donat. ad Ter. Ad. 2, 2, 24 ‚actum agam: proverbium i. e. nihil agam, quod enim in iure semel iudicatum fuerit, rescindi et iterum agi non potest'. Sensus est igitur, ut Seyffertus l. l. p. 498 recte explicat, ‚etwas was geschehen und nicht zu ändern ist hinterher zu ändern suchen = sich vergeblich um etwas bemühen'; cf. Cic. Lael. § 85 ‚praeposteris enim utimur consiliis et acta agimus, quod vetamur vetere *proverbio*': Ter. Phorm. 419 actum *aiunt* ne agas; Cic. ep. ad Attic. 9, 18, 3 actum ne agas, qua in formula particula ‚ne' pendet ex imperativo ‚vide', cogitatione supplendo (Cic. ep. fam. 14, 1, 5 ‚vide ne puerum *perditum perdamus*' et ‚vide ne facinus facias' p. 17); *rem actam agere* Pl. Pseud. 261, Cist. 4, 2, 36; Liv. 28, 40, 3.

Pl. Poen. 4, 2, 58 omnem operam perdis — quid iam? quia *doctum doceo* (permutatione usus dixit Senec. ep.

---

tibi vovemus etc., ad quem locum si Livianum nostrum difficillimum revocamus, nullo negotio expedire possumus. Nam primum quidem emendatio Madvigii (*tum* pro datum) confirmatur; tum lectio probatissimorum codicum Put. Med. aliorum ‚eamque salvam servaverit', pro qua alii alias substituerunt, una optima ac rectissima apparet; denique dubium non est, quin in corruptis vocabulis codicum ‚sic velim' verbum aliquod occultum lateat, quod ad similitudinem illius ‚vivet' accedit, velut: vigebit vel valebit (codd. recc. praebent: sic *validam* salvamque etc.) vel ἀσυνδέτως stabit valebit. His medelis adhibitis locus exstitit hic: ‚Si respublica ... ad quinquennium proximum *valebit eamque salvam servaverit* .... *tum* donum duit etc.

94, 11 eruditum docere). Pl. Mil. 636 quid opust *nota noscere?* Pl. Curc. 540 *redditum reddere,* Enn. trag. 256 R. stultust, qui *cupita* cupiens cupienter *cupit;* Cornif. 4 § 65 noli *exstinguere exstinctos;* Cic. ep. ad Attic. 15, 15, 3 nolui *impeditum impedire.*

Atque horum exemplorum perspicua vis est; minus tamen clare ea apparet in formula *occupatos occupare* ap. Pl. Men. 452 ‚qui illum di perduint, quei primus commentust . . . contionem habere, quae homines occupatos occupat' (i. e. commentum contionis habendae supervacaneum ducendum est) et ap. Pl. Rud. 109 quisquis es, qui oratione hic occupatos occupes.

Ceterum haud recte ad hoc genus dicendi revocatur formula ap. Pl. Capt. 438 (cf. Brix ad h. l.): ‚*serva* tibi perpetuom amicum me atque hunc *inventum inveni*'; in qua nihil supervacanei vel irriti negotii inesse, immo, ut Dombart. l. l. p. 197 docet, circumscriptionem simplicis verbi ‚invenire' ipso verbo inveniendi fieri intelligimus, ut ap. Ter. Phorm. 559 in formula ‚inventas *reddam*' (= ich will sie dir verschaffen). Namque ‚invenire' significatione quoque utitur *reddendi* (= machen, verschaffen, erwerben), id quod elucet ex loco ap. Plin. Trin. 1051 ‚inimicum amicum *invenias* benefacto tuo', alteroque loco ap. Ter. Haut. 1040 ‚ut *serves* quod labore *invenerit*' ut nostro verba ‚servare — invenire' alterum alteri opposita videmus. Itaque Plautum in hoc versu duplici vocabuli ‚invenire' significatione et reperiendi et reddendi ludere sententiamque loci hanc esse iudicamus: ‚mich bewahre dir für die Zukunft als Freund, diesen (den Hegio) erwerbe dir (als Freund) [2]).

---

2) Non alienum videtur mihi esse, eas figuras etymologicas, quas speciem figurae ὀξύμωρον praeferre demonstravi, hoc loco in unum collectas adscribere:

a) exlex legibus, impietate pius, expers partis (§ 10).
b) dehonestamentum honorum, immunitas munerum (§ 12).
c) innuptae nuptiae, funera nec funera (§ 17).
d) destitit instare (§ 19, a); acta agere (§ 19, d).

Caput III.

De gradatione ac comparatione notionum etymologica.

I.

De gradatione.

A. De gradatione notionum adverbiali

a). adiectivorum.

§ 20. Praeceptum est pervulgatissimum grammaticorum in locum superlativi adiectivorum circumscriptionem per adverbium ,maxime' factam succedere posse; illud quoque constat inter omnes in tali circumscriptione etiam aliis adverbiis locum esse, ut ,admodum, bene, satis, valde, vehementer'. Hoc tamen nostris demum diebus animadversum est pleraque eiusmodi adverbia suam quodque ut ita dicam provinciam habere adiectivorum, quibus accedant. Sed de hac re non est nobis in animo pluribus disserere, quippe quam doctissimus meus praeceptor Woelfflinus in libello nuper edito, qui inscribitur: ,Lateinische und Roman. Comparation' p. 7 sqq. summa cum iudicii subtilitate pertractaverit. Nostrum erit hoc loco unum certumque genus explicare, quod ab illa originali, ut ita dicam, adverbii cum adiectivo cognatione initium cepit. Plautus enim ad adiectivorum gradationem adverbiis usus est, quae non solum eiusdem significationis, sed etiam originationis cum suis adiectivis erant, id est, ut dilucido exemplo utar, pro ,bene pulcher' dixit *belle bellus*. Atque huius figurae etymologicae auctor solusque, ut ita dicam, actor Plautus est, cum attenuatam formam i. e. permutationem ,inepte stultus' etiam alii scriptores adhibuerint.

Ex lingua Graeca quidem Lobeckius l. l. p. 534 unum locum affert Soph. Trach. 608 *φανερὸς ἐμφανῶς σταθείς*, quo loco novissimi editores ut Nauckius quasi simile exemplum adnotando ,ibid. 613 *θυτῆρα κλεινῷ κλεινὸν ἐν πεπλώματι*' se maxime insignem figurae etymologicae notam, necessitudinem grammaticam dico, prorsus nescire palam ostendunt. Sed iam Homerus, id quod praeteriit Lobeckium, hac

consuetudine dicendi utitur Il. 7, 39. 226 οἰόθεν οἶος, ibid. 16, 776 μέγας μεγαλωστί [1]). Neque a nostro sermone hanc dicendi consuetudinem abhorrere testatur locus excerptus ex Goethii epistula quadam Lipsiensi (a. 1765) ‚Ja das geht köstlich. Aber auch köstlich kostspielig'. Latina exempla sunt:

belle bellus Pl. Rud. 426, Asin. 676, Curc. 521; *docte perdoctus* Pl. Mil. 258; *impudenter impudens* Rud. 4, 3, 38; *insane insanus* Men. 292; *misere miser* Pseud. 13, Cist. 4, 2, 21, Aul. 4, 9, 10 ubi codicis Veteris lectio est haec ‚heu me
misere
miserum miserum (‚misere' adscripsit m. 2, omm. rell.) perii" recte mihi O. Seyffert (stud. Plautin. 1874 p. 9) restituisse videtur formulam ‚misere miserum' praecedente adverbio ut in ceteris formulis; *parce parcus* Aul. 2, 4, 35; *scite scitus* Cas. 3, 1, 8; *unice unicus* Bacch. 407, *unice unus* Bacch. 207, Stich. 11, Asin. 208, Truc. 1, 2, 91 (cf. Homericum: οἰόθεν οἶος).

Iam duae formulae commemorandae sunt, quae immerito ad hoc genus a nonnullis referuntur:

Pl. Mil. 4, 2, 24 coniecit Bergk. ind. lect. Hal. 1862/3 p. IV *firme firmus* pro *firme fidus*, quam lectionem a Ritschelio restitutam ex palimpsesto nuperrime defendit Biesius l. l. p. 24 gravissimis locis:

Pl. Mil. 453 das firmatam fidem; Trin. 1111, Capt. 927 firma fides; Ter. Andr. 462 firmavit fidem, Hec. 581 firmasti fidem, ibid. 750 firmare fidem. Quae exempla attente percensenti, ait Biesius, statim ante oculos erit perspicue constans ille nexus eorundem verborum ‚firmare fidem', antiquitus allitterationis forma coniunctorum. Ceterum conferas quaeso alteram permutationem huius formulae etymologicae ‚fide firmus' apud. Sulp. Sev. dial. 1, 22, 2.

Pl. Capt. 2, 3, 79: lectionem Nonii p. 512 testimonio firmatam ‚*fidele sis fidelis*' cum alii tum Fleckeisenus receperunt, Brixius autem refutavit, quod adverbium ‚fidele' nullo alio loco exstaret. Equidem cum Brixio lectionem codicum ‚fac fidelis sis fideli' retinuerim, quae formula mihi ad simi-

---

1) Apud Homerum unum deprehendi exemplum, ubi adverbium congeneri adverbio aliter formato amplificatur Il. 7, 97 αἰνόθεν αἰνῶς.

litudinem illius ‚amico amicus' (§ 14) formata videtur esse; cf. Bacch. 4, 4, 13 bonus sit bonis, malus sit malis. Huc accedit altera causa, quod Plautus excepta formula ‚impudenter impudens' adiectiva et adverbia secundae tantum declinationis in hoc genere admisit; id quod mihi breviore potissimum adverbiorum exitu commotus videtur fecisse, quippe quo tota formula pressior appareat. Cum enim adverbia secundae declinationis in *iter* conformare posset, velut largiter (‚large' uno loco exstat Aul. 2, 2, 19), saeviter (cf. Neue L. F. II² 663), noluit tamen dicere ‚largiter largus'.

Addimus nonnullas formulas, quae similem dicendi morem sequuntur: *mirimodis mirabilis* Trin. 931, unguenta *multigenerum multa* Stich. 383; deinde frequentissimam locutionem: *omnino omnes* (παντάπασι) Ter. Ad. 990 [2]); Varr. sat. 45 B; Cic. ep. ad Attic. 5, 13, 2; Vitruv. 3, 5, 11; Trebell. Poll. trig. tyr. 15, 7; Censorin. 3: cf. Krebs Antibarb. s. v. ‚omnino', qui auctore M. Seyfferto in edit. comment. Cic. Lael. discrimen significationis inter ‚omnino omnes' et ‚omnes omnino' enucleare conatur repugnante Muellero in editione II. eiusdem libri, quam Seyfferto mortuo curavit p. 477.

Denique pauca dicenda sunt de formula ap. Pl. Most. 911 ‚*longe* omnium *longissumast*', quo uno loco Plautus ipso consonorum verborum studio inductus adverbium ‚longe' superlativo praemisit, quod Ciceronis demum auctoritate pro usitato adverbio ‚multo' obtinuit; cf. plura de hac re apud Woelfflin. l. l. p. 37 sqq.

§ 21. De permutata huius figurae etymologicae ratione.

Etiam haec permutationis exempla, quae quidem Plautina sunt, omnia efficiuntur adiectivis adverbiisque II. declinationis excepto uno loco Pers. 591 *stultus pueriliter*, qui idem locus unus est, ubi adiectivum adverbio praecedit isque exeuntis versus necessitate excusatur.

abiecte ignavus Amm. 15, 13, 3 (Hertzius Herm. VIII

---

2) Eadem amplificationis vi utuntur vocabula ‚omnia omnes' una posita; vid. Ter. Ad. 299, Hec. 867 et formulam a Plauto Terentioque frequentatam: ‚di tibi *omnes omnia* optata obferant' Pl. Capt. 2, 2, 105; Ter. Ad. 978.

p. 285 imitationem loci Gelliani 2, 6 ‚ignaviter et abiecte' interpretatur); *argute cati* O. Seyffert stud. Plaut. p. 13 restituit pro vulg. lect. ‚arguti et cati' Truc. 2, 6, 12; *callide facundus* Pl. Merc. 35; *doctissime eruditus* Sall. Iug. 95, 3; *docte vorsutus* Pl. Stich. 561; *ignave iners* Senec. Thyest. 176, Herc. Oet. 1721; *inepte stultus* Pl. Most. 2, 2, 64; *infeste odiosum* Pl. Truc. 1, 1, 65 (Spengelius in editione sua 1868 legit manufestum odium) cf. nostram dictionem: arg bös; *inique iniurius* Pl. Epid. 4, 1, 24; *firme fidus* Mil. 1014; cf. § 20; *fide firmus* Sulp. Sev. dial. 1, 22, 2; *pollucte prodigus* Nervol fragm. 5. R.; *propere celer* Pl. Trin. 1008 (cf. propere celeriter Rud. 5, 2, 36; propere cito Cas. 3, 6, 17; propere ocius Cist. 3, 8); *sancte pius* Pl. Rud. 1234; *scientissime callens* Ammian. 15, 7, 8; *stultus pueriliter* Pl. Pers. 591; *turpiter malevolus* Cic. ep. ad Attic. 7, 2, 7 (turpiter ater Hor. a. p. 3; turpiter hirtus epist. 1, 3, 22).

§ 22. b) De gradatione verborum.

Ut ad adiectivorum ita etiam ad verborum notionem intendendam adverbia eiusdem originationis usurpantur. Ac Lobeckius quidem l. l. p. 553 ex sermone Graeco haec exempla affert: *κλήδην κικλήσκειν, στάδην ἑστῶτες* Plat. com. ap. Athen. 14, 628 E (ut ‚statim stare'), alia. Germanici sermonis exemplum est ‚sich arg ärgern'; sequuntur Latina:

apparet aperte Lucret. 2, 141; *audeo audacissume* Pl. Men. 1003; *avent avide* Enn. trag. 35 R.; *caveo cautius* Pl. Men. 151; *cupide cupere* Pl. Cas. 2, 3, 49; *cursim currere* Pl. Pseud. 358, Afran. com. 294 R.; *recessim cedere* Pl. Cas. 339; *datatim dare* Naev. com. 75; *desiderantius desiderare* Front. p. 117 N.; *iterum iterare* Pl. Rud. 1265; *madide madere* Pl. Pseud. 1297; *memoriter meminisse* Pl. Capt. 247, Poen. 3, 1, 59, Afran. com. 365 R.; *memore meminisse* Pompon. com. 109 R.; *memoriter memorare* Pl. Amph. 1, 1, 261; *nitide nitet* Pl. Truc. 2, 4, 3; *propere properare* Pl. Curc. 4, 3, 3; 5, 3, 10; Aul. 2, 8, 23; *penitus penetrare* Lucret. 1, 529; *purissime purificatam* Apul. Met. 11, 16 H.; *statim stare* Pl. Amph. 276; *tempestive temperare* Truc. 41; *valide valere* Pers. 427.

Vides varietatem et ubertatem dictionis Plautinae; nam ut verborum vim per figuram etymologicam augeret, triplici ra-

tione usus est: memoria meminisse, memoriter m., memor m. (= genau merken); similia exempla sunt: curriculo currere, cursim currere; propere propero, propero properare, propere propero currere.

Ceterum liceat aliquot formulas seorsum tractare, veluti illam ap. Cat. fragm. p. 36 Iord. ‚eam ego viam pede*temptim temptabam*‘ per compositionem factam. Deinde locus ap. Corn. Nep. Dat. 10, 2 dignus est, qui commemoretur: ‚praedas cepit quarum *partim* suis *dispertit*, partim . . . mittit‘, quippe quo transitum obiecti interni in adverbialem structuram (partim = partem dispertire) satis dilucide adumbratum videamus. Pl. Amph. 313 nescio an pro ‚tractim tangere‘ legendum sit *tactim tangere* ut cursim currere.

Appendix. Nonnullis locis pro adverbio adiectivum amplificationis causa positum est: *vivus vivo* Pl. Pseud. 339. 508; *memor memini* Pl. Pseud. 940; *tacitus taceo* Pl. Poen. 4, 2, 84; Epid. 5, 1, 44. Eodem pertinet formula ap. Cic. leg. agr. 2 § 66 nolo plebem . . . *suspensam pendere.* De formulis ‚cupiens cupere‘ similibus vid. § 19. — Permutationis exemplum hoc proponimus: *timidus trepidas* Epid. 1, 1, 59 (Goetzius in novissima editione Epidici (1878) hanc lectionem praebet: quid tu timidus: trepidas Epidice); similem formulam in corrupto quodam versu Plautino restituere conatur E. Becker (stud. in prisc. script. Lat. edid. Studemund. I p. 291): Mil. glor. 1272 ‚viden ut tremit atque extimuit‘ (codd.) — vide ut *timida (trepida) extimuit* (coniect. Beck.)

§ 23. Permutatio.

In hoc quoque genere ut in aliis permutatio ad diminuendam figurae etymologicae licentiam pertinet, velut Terentius pro Plautina formula ‚propere properare‘ dicit *propere currere* Ad. 353, Hec. 808; cf. *propere accurrere* auct. bell. Afric. 39, 2 ibid. 74, 3 *celeriter accurrere; velociter properare* Sen. ep. 110, 9; *propere festinare* Ammian. 16, 8, 11. — *cautius vitare* Hor. carm. 1, 8, 10; cf. Pl. Men. 151 caveo cautius; ibid. carm. 2, 7, 27 *insanius bacchari* (= insanire).

Deinde ex permutatione nata est locutio, quae abundantiae quandam speciem prae se fert ac praecipue sermoni familiari et plebeio propria est: *necessario cogi.* Sinceram huius formulae imaginem etymologicam in sermone Latino

expressam non habemus, sed in Graeco: *βίᾳ βιάζεται, μετὰ βίας βιασθείς*, vid. Lobeck. l. l. p. 533. Locutio ,necessario cogi' primum occurrit ap. Ter. Andr. 632 *coacti necessario* (cf. Haut. 446 ea coacta ingratiis, Cic. p. Tull. 5 nisi plane cogit ingratiis; de similibus abundantiae plenis formulis, ut ,necessitate coactus' aliis vid. act. I p. 447); ceteri loci sunt: auct. b. Hisp. 24, 2; 32, 1; Cornif. 4 § 43; Cic. de invent. 1 § 4; Hygin. astron. p. 60 Bunte.

Pariter adverbium ,necessario' ut summa necessitas indicaretur ad gerundium gerundiumve accedit, cui abundantiae dicendi Cicero in prioribus tantum libris indulsit; nam ut locutionem ,necessario cogi' in libro de invent. 1 § 4 (Cornif. 4 § 43) offendimus, ita de invent. 1 § 54 scripsit *necessario concedendum;* ibid. 2 § 4 nec. scribendum, p. Quinct. § 71 dicendum nec. est, eademque formula exstat div. in Caecil. § 10; cf. Cornif. 2 § 14 nec. scribendum, ibid. 4 § 1 nec. faciendum. Qua ex re coniecturam capias Ciceronem hunc dicendi morem, ut alia (cf. dissert. meam p. 46) ex Cornificio primum adscivisse, postea autem omisisse. Quos alios locos huius locutionis inveni sunt hi: Cat. fragm. p. 49 Iord. nec. faciendum fuit; Front. p. 143 N. si nec. sit altera res eligenda; Ammian. 20, 11, 7 nec. praestruendum; Serv. ad Verg. Aen. 2, 87 patri parendum nec. fuit; Apul. d. Pl. 2, 251, 23 H. nec. perpetiendum esse.

Ad similitudinem formulae ,necessario cogi' accedit altera: *praesentem adesse*, quae et ipsa redundantiae plena magisque in sermone cotidiano videtur viguisse. Plautus quidem et Terentius pluribus locis ea utuntur: Pl. Most. 1075, Amph. 977, Stich. 577, Ter. Ad. 3, 3, 39; tum uno loco invenitur apud Caesarem bell. Gall. 7, 62, 2, quo doctissimus vir Petersdorff [1]) Caesarem ut multa alia sic hanc locutionem vulgarem ex Labieni legati sui narratione in suos commentarios transscripsisse diserte docet. Denique Cicero hanc formulam in orationibus uno loco admisit de dom. § 39 *adest praesens* vir singulari virtute. Gemina formula eademque ser-

---

1) In programm. gymnas. Belgard. 1879: ,C. Iulius Caesar num in bello gallico ennarrando nonnulla e fontibus transscripserit' p. 17. Licet duos locos adscribere simillimos, ,in quibus verba produntur, quae Labienus brevi ante pugnam apud milites fecit':

moni familiari propria est *praesto adesse* Acc. trag. 498, Ter. Eun. 1050, Lucret. 5, 1410; Cornif. 4 § 65; Cic. Mur. § 26; Lact. 3, 7, 10; 2, 16, 10. — Iam forma vere etymologica est: *praesto praesens* Acc. trag. 252 R.

B.

§ 24. Restat ut nonnulla gradationis etymologicae genera expediamus, quae paucissimis locis inveniuntur. Qua occasione data omnia gradationis etymologicae genera, quorum alia aliis locis tractata sunt, brevi in conspectu proferamus, quo pleniorem exhibeamus variorum graduum imaginem.

I. Fit igitur **substantivorum gradatio**

1) per adiectiva

a) *attributive* substantivis adiuncta aut per gradum positivum (*pulchra pulchritudo*. § 16 b) aut per gradum superlativum (*miserruma miseria* § 16 a)

b) per *genetivum partitivum:*

α) substantivum ex adiectivo pendet: Cic. ep. ad Attic. 3, 7, 3 id est maximum et *miserrimum* mearum *omnium miseriarum;* Gell. 17, 10, 19 *omnium* quae *monstra* dicuntur, *monstruosissimum;* cf. Schilleri illud: ‚Jedoch der schrecklichste der Schrecken, das ist der Mensch in seinem Wahn'.

β) adiectivum a substantivo pendet:

Augustin. conf. 3, 6, 10 pater summe, bone, *pulchritudo pulchrorum omnium*, ut Schillerus in carmine, quod inscribitur, die Worte des Glaubens, ‚und was kein Verstand der Verständigen sieht' = selbst nicht der Verständigste; quo versu Schillerus imitatus est locum in ep. ad Corinth. Vulg.

6, 8. 4: praestate eandem nobis ducibus virtutem, quam *saepenumero* imperatori praestitistis atque illum *adesse et haec coram cernere existimate* (cf. coram adesse Cic. Phil. 13 § 33; ep. fam. 15, 16, 2; Curt. 8, 10, 1 ipsum coram adesse cernique). 7, 62, 2: Labienus milites adhortatus, ut suae pristinae virtutis .. retinerent memoriam atque ipsum Caesarem, cuius ductu *saepenumero* hostes superassent, *praesentem adesse existimarent.*

1, 1, 19 ‚perdam sapientiam sapientium et prudentiam prudentium reprobabo' a Luthero sic conversum ‚den Verstand der Verständigen'.

Iam si in *β*) pro adiectivo substantivum congener ponitur — pulchritudo pulchritudinis — gradatio fit

2) substantivi per suum genetivum partitivum:

a) brevior formula: *rex regum* § 12

b) plenior formula: *regum maximus rector* Sen. Troad. 988; *mammarum maxima mamma* Martial. 1, 100.

II. Adiectivorum gradatio

1) per adverbium eiusdem stirpis: *misere miser* § 20

2) per suum genetivum partitivum

a) gradus *positivus* est: *sanctus sanctorum* = *δειλαία δειλαίων*, *sancta sanctorum* = *κακὰ κακῶν* § 13.

b) gradus *superlativus* est

α) *miserorum miserrumus* Plaut. Menaech. 5, 2, 65; *pauperum pauperrimus* Plaut. Aulul. 2, 2, 50; *magnorum maxime regum* Hor. sat. 1, 3, 136; cf. *μακάρων μακάρτατε καὶ τελέων τελειότατον κράτος* Aesch. suppl. 525.

β) *optumorum optume* Pl Capt. 836; *pessimorum pessimus* Naev. com. 118 R., *pessimarum pessima* Pl. Cas. 4, 2, 14; cf. *ἐν μαλακωτάτοις τῶν μαλακωτάτων* Pl. symp. 195 E. — Permutationis speciem ostendit formula: *primorum princeps* Pl. Amph. 204.

Ex formulis I 2 b ‚regum maximus rector' et
II 2 b *α* ‚magnorum maxime regum' nata est tertia in elog. Scip. C. I. L. I. 32 ‚*duonoro optumo fuise viro* [*viroro*]'[1]).

---

1) L. Tobler in libello „Ueber die Wortzusammensetzung etc." Berol. 1868 rem, qua de nunc agimus, attingens p. 133 ex lingua Litthavica haec exempla laudat: *dywû dywai* Wunder der Wunder, *waggiû waggis* Erzdieb, *didziû didziausis griekininkas* magnorum maximus peccator; *gerû géráusey* optime; ex lingua Persica: *nîki nîkân* bonus bonorum.

II.
De comparatione etymologica.

§ 25. Quomodo additis verbis congeneribus sive nominibus sive verbis sive adverbiis gradationem effici modo demonstravimus, sic eadem figura usi sunt Romani in adiectivorum comparatione. Et quoniam supra exposuimus, qua ratione positivi ac superlativi efferantur genetivis partitivis congeneribus (sanctus sanctorum, optimus optimorum), reliquum est, ut de comparativis dicatur, quibus accedunt ablativi mensurae congeneres. Quarum locutionum duo sunt genera.

1) Primum enim adiectiva comparantur aut secum ipsis aut cum substantivis unde ducta sunt. Substantivorum haec habeo exempla: Plaut. Cist. 3, 13 *o salute mea salus salubrior;* Apul. met. 1, 63 nihil hac *fabula fabulosius ;* Gregor. Tur. hist. Franc. 7, 1 omni *luce lucidior.* Plaut. Epid. 3, 3, 44 nihil homini *amico* est opportuno *amicius;* id. Poen. 5, 2, 31 nullus me est hodie *Poenus Punior.* Huius generis est, quod nuper in oratione Germanica legi: ich werde mich hüten päbstlicher zu sein als der Pabst.

Multo saepius hoc genere dicendi Romani usi sunt in adiectivis, ad quae facile transitur a duobus Plauti locis modo laudatis. Sed ut apud nos tales locutiones (todter als todt, nässer als nass kann man nicht werden) vulgari potius sermoni propriae sunt, ita in litteris Latinis probatissimos scriptores eo abstinuisse videmus [1]). Dixit igitur Plautus Curc. 551 *stultior stulto* (cf. nostrum ‚dümmer als dumm‘, quamquam haud facile quisquam dixerit ‚gescheidter als gescheidt‘) [2]); id. Capt. 150 *unico* magis *unicust;* Catull. 99, 2

1) Cf. Fuhrmann, die Vergleichungssätze des Plautus in annal. philol. a Fleckeiseno editis, 1868. p. 850: Es sind, wie mir scheint, allgemein bekannte Sentenzen und besonders im Munde des Volkes lebende Redensarten.

2) Ex Grimmio II, 665 haec exempla adscripsimus: dicker denne dicke, lieber denne liep, bezzer denne guot; nonnullas etiam duplici comparativo formulas instructas hoc loco affert: tumber danne tumber, mêr danne mêr, baz dan baz.

dulci dulcius; Varro l. lat. 9, 72 quod nemo natura *lusco magis* sit *luscus;* Apul. met. 2, 7. 9, 41. 10, 28 *certo certius;* idem ap. Ulpian. Dig. 42, 9, 19; Ambros. epist. ad Ephes. c. 5; Paul. v. S. Ambros. c. 25; serm. Leoni M. adscript. 20, 3; Martial. 8, 76, 7 *vero verius;* id. 6, 30, 8 vis dicam tibi *veriora veris?* Apul. Pseudoasclep. 302, 21 H. hoc omni *vero verius.* Arnob. adv. gent. 2, 48 R. omni *vero verissimum*, quo loco superlativus in locum comparativi substitutus est; Itiner. Alex. 1 *bonus melior imperator* in allocutione, ut evitaretur trita et longo usu attrita forma superlativi. Cf. Front. p. 39 N. bone et optime magister.

Aliquando tamen ablativis accedunt pronomina demonstrativa veluti apud Plautum Amph. 446: *nihil hoc similist similius*, quod imitatus esse videtur Front. p. 101 N. ut nihil sit hoc simili similius; Pl. Mostell. 279 nihil *hac docta doctiust;* id. Capt. 644 nihil invenies magis *hoc certo certius.* Afran. ap. Nonium p. 21, 24 (v. 250 Rib. com. lat. fragm.) nemo *illa* vivit *cariosa cariosior*, ubi codices Nonii praebent *carie curiosior.* Ad permutationem huius generis referas locum Plauti Amph. 818: quid *illac impudenti audaciust?*

Denique plenissimas formulas habes ap. Cic. epist. Att. 16, 16 E: sic *gratum*, ut nulla res *gratior* esse possit; epist. ad Quint. fratr. 2, 6, 4 sic *bonus*, ut *meliorem* non viderim; Plin. epist. 8, 29, 1 nihil tam *laetum*, quod his *laetius.*

Rarissime autem ablativi comparationis formam superlativi induunt, semel ni fallor apud Plautum Amph. 907 *stultior stultissimo;* apud Apuleium met. 1, 4 *minimo minus* (= prope) interii, item met. 8, 7. flor. 2, 12.

2) Alterum genus ab eo, quod modo persecuti sumus, hoc uno discrepat, quod comparatio non ex domestica — ut ita dicam — notione sumitur, sed ex aliena. Quare quamquam minus clare notam figurae etymologicae prae se ferre videtur, tamen ad eam spectare facile concedas. Nam utriusque generis formulae idem fere valent: ut enim, qui ‚stultior stulto' vocatur, stultissimus est, ita, quem circuitu quodam Catullus ‚infaceto rure infacetiorem' dixit, tamquam aequo Marte pro infacetissimo discedit. Ceterum animadvertes Catullum potissimum Plauti vestigia secutum huic dicendi mori indulsisse.

O melle dulci dulcior tu's Pl. Asin. 613; *citis* qua-

drigis *citius* id. Aul. 4, 1, 14; risu *inepto* res *ineptior* nulla est Catull. 39, 16; sed tuus *altus* amor barathro fuit *altior* id. 68, 117; suaviolum *dulci dulcius* ambrosia id. 99, 2; suaviolum *tristi tristius* helleboro id. 99, 14; *infaceto* est *infacetior* rure id. 22, 14.

Pleniores formulae sunt: ‚*hoc est [mel] melle dulci dulcius*' Pl. Truc. 2, 4, 20; et Ennianum illud trag. 41 R. ‚optumarum multo mulier melior mulierum', ubi Hauptius Philolog. Gotting. II p. 279 pro codicum lectione ‚optimatum, egregie restituit ‚optimarum', genetivum interpretatus Graeco more positum esse pro ablativo comparationis; qui usus maxime confirmatur loco ap. Varr. r. r. 2, 5, 10 ‚transmarini Epirotici non solum meliores totius Graeciae etc.'; cf. Apul. met. 11, 30 ‚deus deum magnorum potior'.

Atque ita utriusque et gradationis et comparationis etymologicae generis exempla luculentissima plenissimaque pari modo binis substantivis adiectivisque facta atque instructa sunt:

‚Duonoro optumo fuise viro [viroro]'
‚Mater, optumarum multo mulier melior mulierum'.

Adnotationes.

Ad pg. 19 *facinus facere:* strenuum Plaut. ap. Gell. 7, 7, 3. — In Ciceronis orationibus haec formula passive tantum usurpata exstat his locis: Tull. § 34 totum f. sine dolo malo factum, Cael. § 54 quod f. in agris factum reprehenderet, Rab. Post. § 24 ut hoc stultissimum f. sapienter factum esse videatur, Phil. 14 § 8 Dolabellae f. suo consilio factum esse testatur.

p. 20 *nomen nominare:* Plaut. Asin. 780.

p. 21, 6 passive tantum] adde ‚usurpata'.

p. 22 *vitam vivere:* quam Front. p. 88 N.

p. 22, 38 Locus Jerem. 4, 3 = Hos. 10, 12, cuius Cyprianus et Tertullianus mentionem faciunt, in Vulgata est hic: *novate* vobis *novale.*

ad § 5: Homerica accusativi etymologici exempla congesta invenies apud La Roche ad Il. VII, 449.

p. 30 *morte moriatur* Ierem. Vulg. 26, 8; nos dicimus: des Todes sterben.

p. 35. Ad § 12 init., ubi agitur de formulis *νόμων νομοφύλακες* similibus, in quibus altera pars compositi notionem exhibet, quae et ipsa inest in adiecto genetivo ita, ut redundantia quaedam appa-

reat, nonnulla addimus ex libello L. Tobleri „Ueber die Wortzusammensetzung“ p. 58. 59: ‚Die Bedeutung des ersten Wortes kann ganz erlöschen und in der des ganzen spurlos aufgehen, so dass jener nochmals dem ganzen beigesetzt werden kann und muss, wenn die betreffende Spezies angegeben werden soll. Z. B. *ποδάνιπτρα ποδῶν* (Fusswaschungen), *συῶν συβόσια* (Schweineherden), *αἰπόλι' αἰγῶν*, bei Homer. Solche Geminationen oder Pleonasmen finden sich aber schon im Sanskrit, z. B. go-sthá, eig. Kuh-stall, dann aber (a potiori) „Stall“ überhaupt und darum in jener Bedeutung dann mit Verdopplung: go-goshtá. . . . Solche Verbindungen deuten auf hohes Alterthum der betreffenden Zusammensetzung, weil die nachherige Abschwächung ihres ersten Gliedes längere Zeit brauchte, und sind darum auch für die Culturgeschichte interessant, eben weil die spätere Abschwächung einen um so stärkern, ja vorzugsweisen oder ausschliesslichen Gebrauch der betreffenden Sache in frühester Zeit voraussetzt.“ — Cuius rei exempla, quae plura apud *Homerum* occurrunt, ut *ποδάνιπτρα ποδῶν* Od. 19, 343, *βοῶν ἐπιβουκόλος* ibid. 3, 422, magis ad illam poetarum epicorum dicendi ubertatem pertinere iudicandum erit cum Ameisio ad Od. 3, 422. — Denique locum proponere liceat ex ev. Marc. 12, 36 *ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου* (= Vulg. scabellum pedum tuorum), quod accurate transtulit Ulfilas: fotubaurd fotive theinaize, Lutherus autem: zum Schemel deiner Füsse; vid. Joann. Schmidt de epithet. p. 40.

p. 37. Similiter apud Ennium annal. v. 22 V. Iuno dicitur *dia dearum*, ut sancta dearum v. 65. Cf. dea dia pg. 47.

p. 39, 3 lege Iesu Christi.

p. 40: *pater patrum:* hoc titulo etiam aliquando papam usum esse testatur Du Cange gloss. s. v.; eundem evolve de titulo ‚*dux ducum*‘. [In enodanda locutione *patris patrati* eorum potius sententiae adstipulandum, qui patratum pro partic. pass. accipientes sic patrem *patratum* interpretantur, esse eum, qui *pater factus* sit. Cum enim fetialium principis esset eum hostibus dedere, qui pacem cum iis fecisset populo R. non acceptam, eum, qui dedendus erat, antea in fetialis tamquam patris potestatem venire necesse erat, ut is vitae necisque in illum ius haberet uti pater in filium. Itaque fetialis ad deditionem perpetrandam pater rei factus est indeque nomen *patris patrati* accepit. Inest igitur sincerum genus figurae etymologicae. M.]

p. 40 in not. 5), 4 lege: *muneri* pro numeri.

Ad §§ 12, 13 haec addimus ex Latinitate Vulgatae veteris testamenti: *canticum canticorum* = das Hohelied, hebr. sir hasirim; cf. Du Cange s. v., qui haec disserit ‚c. c. propter excellentiam dicitur: ita enim *τελετὴν τῶν τελετῶν* Eucharistiam vocat Dionysius Areop., *ἑορτὴν ἑορτῶν* festum resurrectionis Gregorius Nazian-

zenus. Vide Isid. lib. 6, Orig. cap. 1 et 2.' — *principes principum* Ezech. c. 23, 23. — Deus Iudaicus in vetere testamento simili modo ut Iesus Christianorum (cf. p. 42) invocatur: *sancte sanctorum* omnium Domine Maccab. 2, 14, 36 et *deus deorum* Daniel. 11, 36. — Denique locum proferimus ex Vulgata veteris testamenti, qui maxime consentit cum descriptione illa Iesu Christi, quam ex veterum Stoicorum doctrina manavisse, supra p. 39 suspicati sumus (vid. locum citatum Diogen. Laert. in vita Zenonis). Est autem hic: Domine deus omnium creator, terribilis et *fortis*, *iustus* et misericors, qui *solus* es bonus *rex*, *solus* praestans, *solus* iustus, es omni*potens* et aeternus Maccab. II, 1, 24. Qui locus utrum exemplar et quasi fons fuerit, ex quo Christiani similem descriptionem Christi hauserunt, an potius et ipse revocandus sit ad formulam illam Stoicorum, valde difficile est diiudicatu, propterea quod, quo tempore alter Maccab. liber conscriptus sit, alii aliter censent.

p. 42, 3 lege: in principio pro in principis.

p. 42. Ad pontifices Romanos transtulit Augustinus] En habes ipsius verba: epist. 217 ,Augustinus episcopus servus Christi et per ipsum *servus servorum* ipsius, Vitali fratri in ipso salutem.

p. 43 § 14, 16 lege: solus est pro solus et.

p. 49 *usus utilissimus:* Cael. Aurelian. acut. morb. 2, 157.

p. 51 med. sine funere funus] Apul. met. 5, 1 domus *pretiosa sine pretio.*